






509
K
2













M. FRIDERICI HILDEBRANDI
Gymnas. Marisb. Rect.
Compendium
GEOGRAPHIÆ CLUVERIANÆ
Peregrinamur Domi
AFRICA
AMSTELODAMI
Apud Janssonio-Waesbergios . Anno 1675



Reverendissimi, Serenissimi atque Celsissimi Principis ac Domini,

DOMINI

CHRISTIANI,

Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium, Episcopatûs Martisburgensis Postulati Administratoris, Landgravii Thuringiæ Marchionis Misniæ, ut & Superioris, & Inferioris Lusatiæ, Comitis Marckæ & Ravensburgi, Dynastæ in Ravenstein,

Domini sui Clementissimi,

Filio Primogenito,

Serenissimo ac Celsissimo Principi ac Domino,

DOMINO

CHRISTIANO,

Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium, &c. &c. &c.

Avitæ Virtutis felicissimè Æmulo

Domino suo itidem Clementissimo

Vitam & Felicitatem.

Serenissime Princeps, Domine Clementissime.



Vantùm Peregrinatio, non tàm oculi, qvàm animi pascendi ergò instituta, afferat, & voluptatis, & utilitatis, nisi jamdudum Viri disertissimi dixissent, dicerem; semper ille puer, inqvit noti nominis Scriptor, qvi domi est, neqve extrà paterni agelli ambitum solem vidit, generosa mens, ait Lipsius, cœlum imitatur & gaudet motu; proinde non Philosophi tantùm nobilissimi, Pythagoras, Plato Anacharsis, aliiqve incredibili discendi incensi cupiditate, patrio relicto solo, longiùs remotas adiére regiones, sed terrarum etiam domini, Reges Principesqve

Peregrinatione mirifice delecta ti, terras alio calentes ſole invi ſendo, ingentem ſibi famam peperêre cum Prudentia. Qvis neſcit Ulyſſem illum πολύτροπον in Græcis Ducibus locum vel ſupremo proximum Facundiâ ſuâ ſuâqve Prudentiâ tenuiſſe, at de eodem Siren illa Mæonia Homerus: πολλῶν, inquit, ἀνθρώπων
ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω,
interprete Horatio:

Qvi mores hominum multorum
vidit & urbes

Qvia verò impedimenta nec rara ſæpè, nec levia peregrè ituris obſtant, eosqve vel invitos domi detinent retinentqve: ſunt enim, qvos muneris, qvod gerunt, ratio reive familiaris cura patriis vetat egredi finibus; ſunt, qvos valetudinis imbecillitas

aut ſumptuum inopia (ære enim gravi crumenâ cum decore fructuqvè peregrinaturus carere minùs poteſt, quàm avis alâ veloqve navis) revocat retrahitqve, non paucos μικροθυμία qvædam & multiplicis metûs ærumnæ moleſtiæqve, qvi peregrinantium plerumqve latera circumſiliunt, à laudabili abſterrent propoſito. Qvia, inqvam, non cuivis Corinthum adire licet, nec tutum ſatis terrâ mariqve vagari, & errare populos inter infectos veneno impietatis aut hæreſeos, non ineptè imperitéqve facere videntur, qvi, Geographico delectati ſtudio, privatos intrà parietes, ubi inſidiæ nullæ, nulla pericula metuenda ſunt, in Tabellis & Libellis peregrinantur, & præſenti prohibiti oculo,

animo terrarum orbem perlustrant gentiumqve laudes, & labes sine sumtu, sine metu ullius noxæ observant, annotantqve, qvàm peregrinationem, αὐτοψίαν licet huic longè anteponendam esse nulli negemus, suo minimè carere fructu vel ignarissimi sciunt. Cùm igitur serenitas Tua, *Serenissime Princeps*, Peregrinatione haud ita pridem prudentissimè institutâ, nobilissimas nonnullas Germaniæ & vicinas eidem Regiones Urbes clarissimas, inprimis *Augustissimi Cæsaris*, *Potentissimi Daniæ Regis*, *Electorum, Bavarici & Brandenburgici*, *Principum Lunæburgicorum*, *Holsatiæ aliorumq;* Aulas celeberrimas præsentiæ suæ suæque Virtutis radiis illustrârit, Discentium gregi fidei meæ commisso dux &

ᴀctor exciti, ut illuſtri *Serenita-ſ ipſius* exemplo & ipſe moni-ᴜs atque excitatus, unâ mecum ᴜniverſum terrarum Orbem, Ve-terem, novum, animo & cogita-tione peragraret, perutilem ſibi rerum, qvas expedit nôſſe, noti-tiam comparaturus; major etiam & melior pars dicto audiens in Collegio profeſſa nomen, cum aliqua laude ſuo non tantùm ſa-tis officio fecit, ſed maximo et-iam rogavit opere, ut excerpta illa Geographica, qvæ freqventi ipſa lectione & repetitione fami-liaria ſibi reddidiſſe videbatur, prelo ſubmiſſa ſecum commu-nicarem, denuò domi relegen-da, repetenda, cum vel optimè mandata memoriæ memoriâ minùs tenaci celeriter plerumq; effluant, niſi eadem, qvaſi fugi-

tiva, frequens retrahat repetitio: æqviſſimis tandem precibus annui, nefas eſſe ratus ullâ vel minimâ re deeſſe ſtudiis eorum, qvibus optimè conſultum ſemper volui hodièque volo. Cùm itaque *Serenitas Tua* ex itinere, feliciſſimè peracto, redux, cùm Patriam univerſam, tùm Lycéum noſtrum, cujus incrementa nonnulli ipſi curæ eſſe ſatis luculentis perſpectum eſt indiciis, inſolenti beârit lætitiâ proque perenni Ejus ſalute & incolumitate nemo non Docentium Diſcentiumque cùm publicè, tùm domi ſuæ vota fecerit, votivam & ipſe Tabulam, cùm lætitiæ meæ, tùm obſeqvii teſtem in publico ſuſpendendam eſſe duxi, inprimis cùm ex iis, qvos *Serenitas Tua* ſingulari dignatur gratiâ, cogno-

 verim,

verim, Eandem Humanitatis hæc ſtudia & amare & æſtimare, non dubiâ ſpe veniæ adductus, *auguſtum Ipſius verèque venerabile Muſis manſvetioribus Nomen* his Pagellis, qvas intelligenti & amanti talium Lectori haud planè ingratas fore confido, præfixi, rem Scholæ ſub auſpiciis *Rever. & Sereniſſimi Dn. Parentis* non infeliciter refloreſcentis *ſalutari Ipſius Clementiæ* ſimul commendaturus. Qvâ jus fas eſt, humillimâ animi ſubmiſſione oro atqve obteſtor, ut amicum Ipſa ſidus, vel ultimæ Clientulo admiſſionis, appareat, Artaxerxes Sinætam benigniore vultu reſpiciat, Ajax potens Teucrum potenti præſidii ſcuto protegat. Omnium vox una unumque votum eſt, ut gentis humanæ Pa-

ter atque Custos *Serenitatem Tuam, Serenissimos Parentes & universam Domum Saxonicam*, famam qvæ terminat Astris, invidendâ jugiter felicitate coronet, & aversis, qvæ majoribus indies incrementis Ipsius obstare qveant & successibus, torrentia Benedictionum flumina in Eandem effundat largissimè. DEUS Te servet *Serenissime Princeps*, Publico servet bono æternùm. Scrib. Martisb. V. Cal. Febr. An. 1675.

Illustriss. T. Serenitatis

Servulus subjectissimus

M. Fridericus Hildebrandus Gymn. Martisb. R.

Bene-

Benevolo Lectori

πᾶν τὸ δῶ.

ET tu denuò spicus, inqvies, leges post uberrimas aliorum messes? qvo fructu qvâ spe famæ? Tunè eandem crambem toties coctam, recoctamque coqves, recoqves, omni solutus offensæ nauseæque metu? Annon Compendia Geographica extant qvàm plurima, Tabellis tam luculentis illustrata, ut Geographiæ cognoscendæ studio Juventus incensa abundè habeat, qvo laudabilem suum ardorem restingvat? Ecqvis, tot apertis Fontibus liqvidissimis, pauperes aqvæ rivulos consectetur? Veris veriora sunt, qvæ loqveris, Humanissime Lector; nulla non Scientiarum genera doctissimis hodiè Scriptis, in qvibus ipse Zoilus, qvod carpat, vix reperiat, præclara illustrârunt Ingenia,

nia, ut proinde, qvi æqviore Jove nati in optimarum rerum notitia excellere pulchrum putant, multitudine librorum ac varietate non tàm instruantur, qvàm obruantur, confundantur; neque tamen laude suâ defraudandi esse videntur Novi, si, Veteres qvod factitârunt, faciant, si ea, qvæ doceri discique in Scholis fas est, mutato modo, ordine, dictione tractent tradantque, & alio saltem alioque habitu casdem in scenam personas, ita ut loquar, producant. Sanè argumentandi dicendiqve modus unus est, una eademque ratio, tàm indagandæ Veritatis, qvàm Orationis construendæ, utriusque tamen Artis præcepta aliâ atque aliâ subinde methodo traduntur, ita ut qvotannis penè Libelli Logici & Rhetorici cudantur, recudantur, formentur, reformentur,

tur ab iis, qvi labore suo rudiorem adjutum iri ætatem autumant sperantque, qvi licet scriptores non semper, qvod seqvuntur asseqvantur, conatus tamen studiumqve publico serviendi, coronam nisi lemniscatam, hederæ tamen ramusculum, doctæ præmium frontis, dicente Flacco, promereri videtur. Qvare literariæ rei non minùs studiosus, qvàm intelligens Lector vitio facilè nobis non vertet, si à clarissimis ingeniis pulcherrimè inventa traditaqve, secatæ signa nostra juventuti discenda non tantùm commendemus, sed eadem etiam ad Discentium captum accommodemus, dilatemus, contrahamus, atqve ita in his, qvæ docere nostrarum est partium, libero utamur judicio, calamo, manu; cùm itaqve horum bono, qvi meâ docentis operâ antehàc plurimùm

mùm usi sunt hodièque utuntur, Cluverianæ Geographiæ Compendium in Compendium aliqvod contraxerim collegerimque ea, qvæ Scriptores Classicos, præcipuè Historicos & Poëtas, cum fructu versaturus sciat oportet, & freqvens eadem Discipulus vitiosè, ut solet, descripserit, descriptaqve vitiosiùs describenda cum commilitone minùs perito communicàrit, alienâ hæc ipsa negligentiâ contaminari ac depravari indignam rem ratus, victusqve insuper precibus eorundem, qvorum profectui omni ratione consulere ipsius imperat officii ratio, Collectanea hæc Geographica prelo tandem submisi, Sosiis operam ultrò sumtumqve offerentibus, etiam ut eadem eo minore cum fastidio memoriæ, minùs plerumque felici ac tenaci, imprimeret Adolescentia præcipua orbis terrarum

rum

rum Regna, Populos, Urbes, Flumina &c. vernaculæ Linguæ rythmis inclusi, in qvibus ἀκρίβειαν & elegantiam neqvicquam qvæsitam si desideraveris, cogitabis, neque materiam capacem satis fuisse poeticæ venustatis, neque catenatos labores, qvibus Magistri Classici tot Ingeniis profectu studioque disparibus satis cum Deo facturi fatigamur ac frangimur, tantum mihi indulsisse otii, ut accuratioris limam judicii adhiberem, & male tornatos incudi versiculos redderem. Nullus dubito, si Adolescens Φιλογεώγραφος cum his pagellis Tabulas Geographicas saltem Generaliores, qvæ parabili passim pretio haberi qveunt, conjunxerit, fore, ut non pœnitendam sibi rei Geographicæ notitiam comparet, & adjumento scientis & ornamento futuram multò maximo: nam, ut ait Dionys. in Perieg.

Ἐκ

LECTORI.

Ἐκ τοῦδ᾽ ἂν γεραρός τε καὶ αἰδοιέστερος
εἴης,
Ἀνδρὶ παρ᾽ ἀγνώσσοντι πιφαυσκόμε-
νος τὰ ἕκαστα.

Ob hanc rem, ob ſcientiam ſcilicet rei Geographicæ, in honore eris & admiratione apud virum hujus rei ignarum enarrans ſingula. Te rogo qvæſoqve, H. L. ut tenuem hanc opellam noſtram non ab elegantiæ ſplendore, qvi hîc nullus eſt, ſed ab animo ſtudioque juvandæ juventutis æſtimes, ùtque, rigor judicii tui arguenda qvæ offenderit humanitas abſolvat, nec faciem ſine macula, nec libellum ſine nævo facilè qvisqvam uſqvam repererit, affecta ſunt opera humana, non perfecta. Vale,

Erudite Lector, qviqve Bonus es,
ama Bonos & Bo-
na.

Ad

Ad Studioſam Juventutem.

ADeſto pubes! HILDEBRANDUS te vocat,
Rex ille noſtræ nobilis puertiæ:
Ducturus Orbis nota per divortia,
Vaſtosqve tractûs. Seqvere ducentem manu,
Et curioſo contuere lumine
Oſtenſa cuncta. Nempe ſi haut licet pede,
Abire peregrè mente vel ſola potes.

FRID. RAPPOLT, SS. Th. D. & P. P. Alumn. Electoral. Ephorus, Canonicus Cizenſis, Collegii Majoris Principp. Collegiatus Nation. Miſnicæ Senior & Facult. Theol. h. t. Decanus.

Ad Clariſſ. Dn. Autorem.

VIderat immenſi contractum ponderis Orbem
Phæbus, ab ingenio pendet ut ille Tuo.
Hanc ego, dicebat, mundo exæqvabo figuram,
Nomineq; Autoris Præco replebo Sui.

Factum

Factum est: Hildbrandi sic parvus prodiit orbis,
Magnoqve Hildbrandus clarus in Orbe fuit.

Gratulab. ex animo scrib. Lipsiæ
L. Val. Alberti, P.P.

QVi vastam Ausoniæ cernit, vel Francidos Urbem,
Non Urbem, Orbem unâ cernit in Urbe vagum.
Si vacat, HILDBRANDI hunc, Lector, percurre libellum,
In nuce constrictus, dixeris, Orbis adest.

properab. Lipsiæ
L. Joachimus Fellerus, P.P.

AUdierat Phœbus, Juvenes odisse Penates,
Dulcesq; fines Patriæ;
Audierat, multos dixisse: *Peregrinemur!*
Natale linqvamus solum,
Atq; aliò terras lustremus sole calentes!
Qvid hic moremur amplius?

Migre-

Migremus, Juvenes, vaga per loca eamus! eamus!
Citis eamus gressibus!
Tum: Juvenes, qvid eatis? ait. Maneatis, Amici.
Maneatis in notô lare.
Dulce eqvidem est, fateor, diversas visere gentes,
Nec nescio, qvod utile.
Qvam vero grave erit, perferre periclâ viai,
Ventôq; jactari & salô!
Qvid per tot casus, per tot discrimina rerum,
Tendatis in terras vagas?
Impiger extremos, currat Mercator ad Indos
Per saxa, & ignes, & mare.
Vos breviore viâ ducet LIBER HILDEBRANDI,
(*Opusculum verè aureum*)
Hic *Regna & Poplos Urbes atq; Oppida* monstrat,
Montesq́, Fontes & Sinûs,
Hic *Mare, Stagna, Lacus, Isthmos, Freta, Flumina* monstrat,
Unius est lucis labor.

Hunc

Hunc legite, ô Juvenes, legite & versate diurnâ
(Non addo nocturnâ) manu.
Sic vobis, aliis qvod vix ſpatium attulit anni,
Vel unus afferet dies,
Ecqvid ad hæc Juvenes: Moniti meliora seqvemur.
Manebimus, Manebimus.
HILDBRANDUS (clamat) vivat! multô ore vovemus,
Pluresq; Libros proferat!

Unfehlbare Gedancken
Der Hildebrandinischen Schul-Jugend / bey Anschauung dieses Geographischen Wercleins / eröffnet in folgendem
Kling-Gedichte.

JSt das der Erd-Bericht / nach dem wir so Verlangen /
Als nach versüster Zucker-Kost?
Wir zärteln Jhn an heisser Brust /
Die wir nicht Land und Sand / gleich Reisenden durchgangen.
Wilkommen / kurtzes Werck! mit dem die Hand sol prangen.
Wir lesen dich mit höchster Lust /

Weil

Weil du uns machst: Was Welt/ bewust.
Wilkommen/ tausendmahl! Sey tausendmahl umbfangen!

Zuruff
an dieselbige:

LJß/ Jugend/ liß mit Lust/ wie du geredet hast/
Was ein berühmter Kiel geschrieben.
Wirstu dich in dem Wercklein üben?
Wohl dir! du kanst die Welt durchreisen sonder Last/
So hat kurtz Hildebrand der a) Römer Brauch gezeiget/
b) Erd' und c) Geschicht. Ach! sprich: sey Himmel ihm geneiget.

a) Rosini Antiqvitates Contractæ.
b) Compendium Cluverianum.
c) Synopsis Historiæ Universalis.

add.

CASP. FIDLERUS,
Poët. Cæs.

Ad
Auditores Coll. Geographici.

QUanqvam Geographia, alienæ laudis neutiquam egena, in amplissimo orbis theatro ipsa hederam suspendit, qvæ cupidos discendi animos invitet, alliciat, attrahat, neqve qvenqvam campos suos latissimè patentes ingressum inani sterilíqve manu, ut ita loqvar, dimittit: paucis tamen delibare potiùs, qvàm enarrare libet Geographici studii summam, cùm jucunditatem, tùm utilitatem, penè etiam dixero, necessitatem, ut melioris notæ Adolescentia insipientum qvorundam puncta ac judicia, nisi imperitissima, certè minus proba ac provida nihil morata, eò alacrius in scholâ addiscat, qvæ ignorare semper dedecori, qvandoqve fraudi est. Qui operæ aliqvod pretium in bonis literis fecére, nôrunt & fatentur è scriptis Sapientum, qvos melior tulit ætas, omnigenam, & verborum, & rerum, qvas nôsse laudi ducimus, notitiam promanare non aliter, atqve è jugis aqvæ fonte rivuli profluunt; neqve Zeno tantum sibi Sapientiæ gloriæqve conciliâsset, nisi oraculo monitus συγχρωτίζεσθαι τοῖς

 νεκροῖς,

νεκροῖς, monumenta doctiſſimorum virorum, eorumqve maximè, qvi ante ſe ſapientiæ laude floruiſſent, ſtudiosè lectitâsſet; neqve Tullius noſter, novus ille Arpinas terræqve filius, ad ſublime illud honoris famæqve faſtigium unqvam adſcendisſet, niſi cum veteribus Amicis, uti in Epiſtolâ qvadam ad Varronem libellos ſuos appellitat, freqventer ac libenter collocutus eſſet. Qvoties autem omnis Geographiæ ignarus in eâ lectione hærebit, impinget, hallucinabitur; Qvoties Scriptoris mentem integrè plenéqve, uti fas erat, non aſſecutus, innocentes chartas abjiciet? neqve Docentis functurus cum laude fructuqve munere, partibus ſuis ac Diſcentium expectationi accuratè ſatisfaciet, ſi Populos, ſi Imperia, ſi Regna, Provincias, ἠθεαλαῶν, ut Homerus loqvi ſolet Urbium, Montium, Fontium, Fluminum, aliarumqve id genus rerum nomina ſitumqve ignoraverit? Velut in ignotâ hoſpes ſylvâ oberrans, in caſſes incidet, unde ſe nullius ope Elucidarii aut Dictionarii, à qvibus rudiorum vulgus Magiſtellorum ferè pendet, petens inde ignorantiæ ſuæ ſubſidia, expediet. Si Poëtas, & qvidem in utraqve linguâ citrà controverſiam Principes, Home-

merum & Virgilium, attingere libuerit, in ſole noctem, in luce clariſſimâ tenebras denſiſſimas offendet ἀγεώγραφος, imò ipſa Phœbi & Muſarum nomina decantatiſſima non ſatis intelliget dextreqve exponet. Hiſtoriam, vitæ humanæ Magiſtram, Tullii effato, legere ac nôſſe cui non libet, non expedit? Ea, dicente Dionyſ. Halicarn. Φρονήσεώς τε καὶ σοφίας ἀρχή ἐστιν. At Hiſtoriæ fax eſt Geographia, eâqve minùs, qvàm ſole & ſale, qvi vivunt, carere poſſunt φιλιστοροῦντες. Paternos egredi limites, terrasqve alio calentes ſole inviſere honori eſt, voluptati, uſui, neqve qvisqvam tàm lapis aut frutex, qvem non titillet ac flectat amœna illa variaqve ſpectio, (verba ſunt Lipſii Centur. 1. Epiſt. 22.) gentium, urbium, locorum; unde Pythagoras, Plato, Democritus, aliiqve Sapientiæ Antiſtites nobiliſſimi non ad cultas tantùm, ſed ad barbaras etiam gentes, mirabili qvâdam diſcendi cupiditate flagrantes, peregrinati acceſſerunt. In Ulyſſis laudibus Homerus non poſtremam hanc ponit, qvod terrâ mariqve jactatus plurimùm,

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον
ἔγνω:

At laborioſa ſæpè & periculoſa eſt peregrinatio; imbecillior Huic valetudo & μικροθυμία qvædam obſtat, Illum viæ longinqvitas, morum perverſitas, Religionis diverſitas tenet, terret, moratur, non pauci etiam graves ære loculos, peregrè ituris ſummè neceſſarios, deſiderant. Cum itaqve longiùs remotas orbis plagas pede libero tutoqve peragrare non ſemper liceat, regiones artifici Chalcographi ac Typothetæ manu adumbratas & delineatas mente & cogitatione contemplari nemo non geſtiet, cui indolem liberaliorem benignior natura parens conceſſit. Inter Eruditos certè aliqvando verſaturus, qvâ converſatione nec fructuoſius qvicqvam, nec jucundius, niſi patrii agelli ambitum eâ, qvâ dixi, viâ fuerit egreſſus, omnium imperitus, κωφὸν πρόσωπον in iſtâ fabulâ aget, aſymbolus explodetur, aut anſer inter olores ſtrepere auſus, Ararim Partho dabit, Germaniæ Tigrim, atqve ita naris non obeſæ συμβιώτῃ deridendũ ſe propinabit. Verùm ne Geographiæ ſatis jam ſatis commendatæ patrocinium ideò ſuſcepiſſe videar, ut more qvorundam Magiſtrorum, uſitato qvidem, at parùm probato, diſcentium calamos odioſè fatigem, & chartæ peri-

perituræ nihil parcendo oſtendam, etiam mihi lingvam eſſe fandi non inſciam, neqve Criſpini Lippi, qvæ compilem, ſcripturienti deeſſe ſcrinia, vela contraho, ſtylo tempero, calamum pono. Adeſte, adeſſe qvibus libuit, adeſtę! Cum DEO brevi temporis ſpatio intra hos parietes orbem univerſum ingenti ſine ſumtu, ſine metu, cum fructu non dubio peragrabimus, Inſulas cum terra Continenti, Maria, Sinûs, Lacus mentis oculis ſubjiciemus; nullæ nos Syrtes in abyſſum trahent, nulla Scylla aut Charybdis naviculam noſtram evertet, non via pedes uret, non æſtus fauces, non ſica latronis fodiet latus, aut voluptatis ulla Siren, qvæ ſuis ſæpè blanditiis peregrinantes ineſcat ac proſternit perditqve, inſidias hic faciet aut peram exenterabit. Faxit omnigenæ fons benedictionis, DEus ter Optimus, ut itinere, qvo de dixi, feliciter perfuncti, qvod ſub manu eſt, negotium, cum omnium veſtrûm fructu maximo abſolvamus! Qvod ſi alicubi lapſi fuerimus, aut ſcopum ubiqve non attigerimus, æqvior ignoſcet auditor, & cogitabit illud Galeni Medici: Χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, neqve mirum, ut loqvitur Plinius, hominem genitum non omnia noviſſe. Sed ad rem. *TER-*

TERMINORUM QVORUNDAM EXPOSITIO.

Qvorum

Cognitio Geographiæ Studioso necessaria.

C*Ontinens* est terra solida, à reliqvâ terræ parte mari non divulsa.

Insula terræ portio ex mari prominens aqvis undique cincta, Svecis & Danis *Holm*, Italis *Isola*, Hispanis *Isla*.

Peninsula vel *Chersonesus*, terræ pars majore sui parte aqvis cincta, qvæ tamen jugo aliqvo continenti annectitur. Chersonesi nobiliores sunt (1) Peloponnesus, (2) Chersonesus Thraciæ (3) Chersonesus Cimbrica, (4) Taurica, (5) Aurea in Indiâ supra Gangem, hodiè Malacca qvæ dicitur.

Isthmus, terræ angustum spatium, qvo peninsula cum continente cohæret.

Promontorium, mons prominens in littore marino, Hispanis Cabo.

Mons terræ pars alta & eminens, ut *Alpes* in Europa, *Taurus* in Asia, *Atlas* in Africa.

Collis, mons minor.

Vallis, terræ profunditas in planitiem qvandam extensa inter montes media.

Ra-

Ramentum montis, mons ex alio ortus monte.

Sylva, terræ pars arboribus cæduis & ſponte naſcentibus referta.

Littus, vel *ora, maritima* terræ pars, qvæ marinis fluctibus tangitur & pulſatur.

Ripa, terminus fluminum.

Regio, terræ pars Regi vel Principi ſubjecta.

Imperium continet multas regiones & Regna.

Regnum regionibus continetur, Regiqve (paret.

Provincia, pars Regni peculiarem habens adminiſtratorem. A Romanis ita dicta Regio bello acqviſita.

Civitas, collecta civium multitudo, per Catachreſin pro Oppido vel Urbe.

Urbs, Civitas major, mœnibus cincta freqventer habitata. Maritima. Mediterranea.

Oppidum Civitas minor, eine Land-Stadt, olim Roma κατ' ἐξοχὴν Urbs dicta, reliqvæ Civitates Oppida.

Emporium, urbs mercatoria, eine Handel-Stadt.

Metropolis, primaria Regni vel provinciæ Civitas, eine Hauptſtadt.

Vicus, multitudo domorum junctarum ſu-

mitur modò pro Platea urbana, eine grosse Strasse/modò pro pago, in qvo plures rusticanæ domus conjunctæ.

Arx vel *Castrum*, ædificium munitum in urbe aut extra.

Castellum, castrum parvum munitum.

Aula vel *Curia*, sedes Nobilis aliqvo modo munita, & ædificiis editioribus exornata.

Villa aut *prædium*, ager extra urbem, Meyerhoff/Vorwerck.

Oceanus, mare universæ terræ circumfusum, die offenbahre See.

Mare, magna collectio aqvarum.

Fretum seu *Porthmus*, mare arctum inter duas terras transiens, *Italis Stretto*, Hispanis *Estrecho*, ut Fretum Herculeum, Siculum &c. Durchfahrt/Sund.

Bosphorus, maris angustia, à bovis transitu dicta, idem ferè, qvod fretum.

Sinus est excursus maris, curvo littore interceptus, ein Meer-Schoß/Busen.

Ostium, locus, ubi fluvius in mare aut majorem fluvium se exonerat. Septem ostia Nili, sex Istri.

Portus, locus maritimus, qvo naves appellunt, hyemant; ubi merces importantur, exportantur.

Statio, in qva ad tempus breve naves consistere possunt. *Flumen*

Flumen & *Fluvius*, aqva multa ex multis rivulis collecta. Hiſpanis Rio.
Amnis, fluvius frondibus & nemoribus cinctus.
Rivus eſt aqvæ ex montibus anguſtus & perennis decurſus.
Torrens, fluentum æſtati exſiccari ſolitum.
Confluens, confluxus duorum fluviorum in unum.
Gurges, locus in flumine profundior, Ein Tümpfel.
Vortex eſt contorta in ſe aqvæ fluentis collectio, Ein Würbel Strudel.
Syrtes, importuoſa & periculoſa iu mari loca.
Brevia, vadoſa loca maris, periculoſa navigantibus. Sandhauffen/ Triebſand/ in Mappis Baixos.
Vadum, locus in aqva minùs profundus, per qvem pedibus vadere licet.
Cataractes vel Cataracta, locus ubi flumen ab excelſa rupe magno ſtrepitu ſe dejicit, ut Cataractes Rheni ad Schaffhauſen/ Nili ad eum locum in finibus Æthiopiæ, qvibus illa Ægypto jungitur, qvi *Catadupa* vocatur.
Scopulus, rupes è mari eminens, eine Klippe im Meer.

Alveus, foſſa per qvam labitur flumen.

Lacus eſt locus profundus, aqvis perpetuis repletus, unde interdum rivi & flumina promanant.

Stagnum aqvam habet temporariam & æſtate interdum exſiccatur.

Palus eſt aqvæ promiſcua collectio in loco uliginoſo & interdum exſiccatur.

Fons, aqvæ ſcaturigo.

Acidulæ, ſunt ſcaturigines aqvarum acidarum medicarum. Sauerbrunnen.

Thermæ, balnea ſuâ ſponte è terris ſcaturientia, ein Warmbad.

Ciſterna, aqvarum pluvialium collectio.

COMPENDIUM GEOGRAPHICUM.

In theſes oppidò paucas redactum.

DECAS I.

§. 1.

GEographia eſt terræ univerſæ qvatenus nobis cognita eſt, deſcriptio. Terra intelligitur cum aqvis infuſis, Inſulæ illa inſtar, Dionyſ. in Perieg. Πᾶσα χθὼν ἀπείρων

νῆσος ἀπείρετος, fundæ ſimilis, σφενδόνῃ ἐοικυῖα, ut idem ait.

Globoſa eſt, ut patet ex umbrâ in corpore lunari, neqve rotunditati terræ obſtat altitudo montium cum altisſimus mons ad terræ globum, ut perhibent, ſe habeat, ut (1) ad 2000000000.

§. 2. Coſmographia eſt deſcriptio mundi univerſi, qvi dividitur in Regionem elementarem & æthere am, vide Schema appoſitum.



Terra reſpectu ſupremi coeli eſt inſtar pun-

 cti

cti, & cum Aqva globum constituit, hunc ambit Aer, hunc Ignis. Hæc est Regio Elementaris. Æthercam Plato & Aristoteles dividunt in octo sphæras, Cicero & Ptolomæus in novem, Alphonsus in decem, Scholastici in undecim, & est Sphæra ☽ Lunæ, ☿ Mercurii, ♀ Veneris, ☉ Solis, ♂ Martis, ♃ Jovis, ♄ Saturni, Sphæra firmamenti, qvâ stellæ fixæ, Cœlum Crystallinum, Decima Sphæra Primum Mobile, Undecima cœlum Empyreum, sedes Beatorum. Saturnus major terrâ 91. Jupiter major 95. Mars major 1½. Sol 166. Venus minor terrâ 37. Mercurius minor 22. Luna minor 39. ♄ motu proprio absolvit circuitum 30. annis. ♃ 12. ♂ 2. ☉ annuo spatio. ♀ & ☿ ferè annuo, ☽ 27. diebus & 8. ferè horis. Fixæ stellæ tardissimè ab occasu versus ortum progrediuntur & singulis C. annis vix gradum absolvunt, circuitum 36000. annis, Anno sc: Platonico.

§. 3. Chronographia est certæ regionis descriptio, ut Italiæ, Germaniæ.

§. 4. Topographia est loci descriptio, ut agri, oppidi.

§. 5. Terra à figurâ, Orbis seu Globus appellatur. Globus est corpus solidum undiqve rotundum, unicâ superficie contentum,

tum, in medio habens centrum, à qvo omnes lineæ ad ſuperficiem ductæ ſunt æqvales. Globus eſt vel Cœleſtis vel Terreſtris.

§. 6. In globo notatur Axis, media linea ad Polum à Polo ducta, circa qvam cœlum volvitur.

§. 7. Polus eſt Arcticus, vel Borealis, & Antarcticus, vel Auſtralis, de his Polis Virgil. 1. Georg.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum.
Sub pedibus Styx atra videt, manesqve profundi.

Polus Arcticus nomen habet ab Urſa gr. ἄρκτος, qvia punctum illud fixum, qvod Polus dicitur, conſtituitur circa Urſæ Minoris caudæ ſtellam ultimam, qvæ Cynoſura dicitur.

§. 8. Sphæra Recta, cum uterqve polus incumbit Horizonti, Obliqva, qvando Polus mundi inter Horizontem & Semith (Semith Arabico vocabulo punctum verticale, vertici noſtro perpendiculariter incumbens, appellatur, ut Nathir punctum diametraliter huic oppoſitum.) comprehenditur. Parallela, qvando æqvator & Horizon conſtituunt unum circulum.

§. 9. Cir-

§. 9. Circuli in globo ſunt vel Majores, vel minores, illi dividunt globum in partes æqvales, hi in inæqvales.

§. 10. Alii dicuntur Recti, qvi angulos rectos cum Æqvatore faciunt. Paralleli, qvi eosdem cum univerſo polos habent. Obliqvi, qvi diverſos à mundi polis ſuos Polos habent.

DECAS II.

§. 1.

CIrculi Majores ſunt Æqvator, Horizon, Zodiacus, Meridianus, qvibus addi poſſunt Coluri duo, qvorum alter per puncta Æqvinoctialia, alter per Solſtitialia tranſit & per mundi polos.

§. 2. Horizon eſt Circulus Major mutabilis, qvi conſpectam mundi partem ab inconſpecta dirimit, atqve ita dividit inferius Hemiſphærium à ſuperiore.

§. 2. Horizon duplex eſt, Unus, qvi ſenſu, Alter, qvi ratione perceptibilis.

§. 4. Horizontis duo poli, qvorum alter Semith dicitur, ut paullo ante diximus, vertici noſtro perpendiculariter incumbens, alter Nathir huic oppoſitus.

§. 5. Æqvator, vel Æqvinoctialis eſt Circulus major immutabilis, qvi Globum

in duas æqvales partes dividit, æqvali ſpatio ab utroqve mundi polo diſtans. A nauta vocatur linea, vel media linea.

§. 6. Nomen habet ab Æqvinoctiis, qvorum alterum Vernale, eſt, 10. die Martii, alterum Autumnale, 13. die Septembris.

§. 7. Zodiacus eſt Circulus Major immutabilis obliqvè inter Polos mundi locatus, ex una parte Tropicum æſtivum in Principio Cancri, ex altera Hybernum in principio Capricorni attingens, dividitur in duodecim partes aut ſigna, qvæ ſunt:

♈ ♉ ♊ ♋
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer,
♌ ♍ ♎ ♏
Leo, Virgo, Libraqve, Scorpius,
♐ ♑ ♒ ♓
Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Qvi Nos Afflígis Nummis Allectus Egenos,
Impie In Inferno Semper Egenus Eris.

Docet hoc Diſtichon qvo menſe Sol ſignum ingreditur; Conſonans ſignificat diem 10. A. 11. E. 12. I. 13. cujuslibet menſis & prima Vox (Qui) denotat Martium, altera (Nos) Aprilem &c.

§. 8. Signa vernalia ſunt ♈ ♉ ♊

Æſti-

Æstiva ♋ ♌ ♍, Autumnalia ♎ ♏ ♐ Hyemalia ♄ ♒ ♓.

§. 9. Latitudo Zodiaci est 16. grad. qvos non egrediuntur Planetæ.


Medius Circulus, sub qvo Sol incedit, vocatur Ecliptica, qvia cum duo illa luminaria Sol & Luna in ea vel conjunguntur, vel opponuntur diametraliter, fiunt Eclipses, & qvidem Solaris, cum corpus lunare diametraliter inter Solem & visum nostrum iuterponitur; Lunaris, cum Luna Soli diametraliter opposita in umbram terræ præcisè in medio collocatæ incidit. Utraqve vel Totalis est, vel Partialis Vid. Astronomi.


§. 10. Meridianus est Circulus Major Mutabilis per Polos mundi & puncta Semith & Nathir transiens, Æqvatorem inter secans, & orbem dividens in duas æqvales partes, qvarum altera ad Ortum, altera ad Occasum spectat. De Coluris supra Thes. 1. Dec. 2.

DECAS III.


§. 1.


TRopici duo sunt Circuli Minores, æqvaliter ab Æqvatore distantes & Eclipti-


Z
60
50
40
30
20
10
O
30 ♍
30
00
Occafu
Ortus
♏ 30
10
20
30
40
50
N



pag. 18.


Septentrio
80 Polus 90 Arctic. 80
Zona frigida Septentrion.
Circulus Arcticus
MERIDIANUS
Zona Tem- perata Sept.
Tropicus Caneri
Zona Tor-
Occasus
Ortus
Æqua- tor
ri da
Tropicus Capricorni
Zona Tem- perata Merid.
Circulus Antarcticus
Zona frigida Meridional.
80 Polus 90 Antar ctic. 80
Meridies



clipticam attingentes. Eorum alter, qvi nobis propinqvior eſt, Tropicus Cancri, alter, in Auſtrum vergens, Tropicus Capricorni dicitur.

§. 2. Polares Circuli Minores extimi duo ſunt, Arcticus & Antarcticus, qvorum ille æqvali ſpatio diſtat à Polo Arctico, hic à Polo Antarctico.

§. 3. Zona, latinè Cingulum eſt ſpatium terræ in globo inter duos Circulos minores, vel inter Circulum minorem & polum comprehenſum.

§. 4. Zonæ ſunt qvinqve, duæ frigidæ, duæ Temperatæ & una Torrida. vide A.

§. 5. Qvi habitant ſub æqvatore perpetuum habent Æqvinoctium, iisqve in anno bis Sol verticalis eſt, & nullam ſpargit umbram, unde ἄσκιοι dicuntur, iidem & ἀμφίσκιοι, qvia duplices in anno umbras habent Meridionalem, cum Sol eſt in ſignis ſepentrionalibus, Septentrionalem, cum Sol eſt in ſignis meridionalibus. Qvi ſub Tropicis degunt, unam habent in anno umbram, vel Septentrionalem, qvi ſub Tropico ♋ habitant, vel Auſtralem, qvi ſub Tropico ♑ unde dicuntur ἑτερόσκιοι cùm v. Sol his verticalis eſt, ſunt ἄσκιοι. Qvi habitant in Zonis temperatis ἑτερόσκιοι dicun-

dicuntur, qvi in frigidis περίσκιοι, qvia umbram in omnes Horizontis partes projiciunt, ut docebit αὐτοψία in globo.

§. 6. Zonarum frigidarum qvæqve habet gradus, 23½, qvælibet Temperatarum 43. Torrida 47.

§. 7. Pro diversitate Zonarum alii sunt Periæci, qvi sub eodem Meridiano & parallelo degunt in locis oppositis, ut Canarienses & Sinenses.

§. 8: Antœci, qvi sub eodem Meridiano degunt in Parallelo ab æqvinoctiali æqvaliter distante.

§. 9. Antipodes, qvos perperam negavit antiqvitas, qvi adversam nobis plagam incolunt.

§. 10. Schema non tàm chartæ, qvàm memoriæ inscribendum.

DECAS IV.

§. 1.

DE Zonis ita Auctores Virg. l. 1. Georg. v. 233.

Qvinqve tenent cœlum Zonæ, quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni

Qvam

Qvam circum extremæ dextrâ lævâqve trahuntur,
Cæruleâ glacie concretæ, atqve imbribus atris.
Has inter mediamqve duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm & via secta per ambas.

Hor. od. 22. l. 1. Carm. *Pone me pigris ubi nulla campis arbor æstivâ recreatur aurâ &c.*

Ovid. l. 1. Metamorph. f. 2.

Qvarum, qvæ media est, non est habitabilis æstu,
Nix tegit alta duas, totidem inter utramqve locavit,
Temperiemqve dedit mixtâ cum frigore flammâ.

Pomponius Mela l. 1. de situ orbis: Mediam æstus infestat, frigus ultimas, reliqvæ habitabiles. Conf. Plin. l. 2. c. 68. Sed omnes habitari certum, notumqve est. Torrida Zona complectitur Africæ meridionalis partem maximam, Arabiam Felicem, Indiam Orientalem & majorem partem Americæ Meridionalis. Temperata Septentrionalis Europam pænè totam, majorem Asiæ partem, Sinam, Japan, partem Indiæ

Indiæ & Inſulas qvàm plurimas unà cum maxima parte Americæ Septentrionalis. Temperata Meridionalis partem Americæ & Africæ. Frigida Septentrionalis Grönlandiam, Novam Zemblam cum ultima parte Norvegiæ, Seciæ, Tartariæ Majoris, Frigida Meridionalis incognita eſt: vehementiſſimi enim æſtûs acceſſu navigantes prohibent, vocatur à nonnullis Terra Magellanica, Terra del Fuogo; alii aqvas hanc orbis partem occupare affirmant.

§. 2. Pro diversâ qvantitate diei longiſsimæ terra diſtingvitur in Parallelos & Climata.

§. 3. Parallelus ſpatium terræ, qvo dies longisſimi horæ qvadrante ab invicem differunt.

§. 4. Clima ſpatium duobus Parallelis comprehenſum, qvo dies longisſimi dimidiâ horâ differunt.

§. 5. Climata veteres, qvibus magna terræ pars incognita fuit, ſeptem numerarunt, primum Clima per Meröen, alterum per Syenen, tertium per Alexandriam tranſiens, hodie numerantur Climata 24. Paralleli 48.

§. 6. In qvo Parallelo & Climate qvælibet

libet Regio ſita ſit, qvantitate longiſſimi diei cognita facilè inveſtigari poteſt, aut ex latitudine loci, vid. Tab. Aut.

§. 7. Qvilibet Circulus in 360. gradûs dividitur, cuilibet graduum in terrâ reſpondent 15. milliaria, unde circumferentia terræ eſt 5400. milliarium, hinc facilè etiam diameter terræ inveſtigatur. Nam juxta Archimedem Diameter ad Circumferentiam ſe habet, ut 22. ad 7. Fiat igitur

circ. ——— diam ——— circ.
22 ——— 7 ——— 45|00
7
———
37800

1
122
1548(4 | $1718\frac{2}{11}$
37800
22222
222

Semidiameter ergo erit $859\frac{1}{11}$ mill.

§. 8. Longitudo eſt diſtantia loci à primo Meridiano, gradibus in Æqvatore numeratis, vel eſt Arcus Æqvatoris inter primum Meridianum, & Meridianum loci interceptus. Primum Meridianum antiqvi duxerunt per Teneriffam, Inſulam unam ex ſeptem Canariis maximam, qvam & Ba-

& Batavi hodiè, ni fallor, ſententiam tuentur. Alii ducunt eundem per Corfu, ex Inſulis unam, qvæ Aſſores aut Flandricæ dicuntur.

§. 9. Latitudo loci eſt diſtantia loci ab Æqvatore, numeratis in Meridiano gradibus, vel arcus meridiani inter Semith loci & Æqvatorem interceptus.

§. 10. Elevatio poli in ſphæra obliqva eſt diſtantia poli ab Horizonte, vel Arcus Meridiani, inter Polum mundi & Horizontem, interceptus. Nobis Elevatio Poli eſt 51. graduum 43. minut. Vide Blebelium de Sphæra. Elevatio poli ſemper tanta eſt, qvanta Latitudo loci.

DECAS V.

§. 1.

QVatuor ſunt mundi Regiones ſeu Cardines Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio. Eſt autem Oriens alius Æſtivus, alius Hybernus, Occidens alius Æſtivus, alius Hybernus; verum punctum ortus & occaſus Solis notari poteſt, cum fiunt Æqvinoctia.


§. 2. Venti Cardinales ſunt qvatuor. Manil.

Aſper

Aſper ab axe ruit Boreas, furit Eurus
ab ortu.
Auſter amat medium Solem, Zephy-
rusqve cadentem.

Iidem venti etiam ſic appellari ſolent. Subſolanus, Aqvilo, Notus, Favonius. Italis dicuntur: Levante, Ponente, Oſtro, Tramontana. Nobis Oſt West-Süd-Nord-Wind.

§. 3. Intermedii ſunt itidem qvatuor. Cæcias, Vulturnus, Africus, Caurus. Itali ſedecim, Germani triginta duos ventos numerant. vide Schema appoſitum.



§. 4. De

§. 4. De ventis Cardinalibus Ovid. l. 1. Metamorph. fab. 2.

Eurus ad Auroram Nabatheaqve Regna recessit,
Persidaqve & radiis juga subdita matutinis,
Vesper & occiduo qvæ littora sola tepescunt.
Proxima sunt Zephyro, Scythiam Septemqve triones
Horrifer invasit Boreas, contraria tellus
Nubibus assiduis, pluvioqve madescit ab Austro.

§. 5. Sunt & alia ventorum nomina: Prodromi, qvi octo diebus ortum Caniculæ antecedunt. Etesiæ, qvi certo anni tempore, sub ortum scilicet Caniculæ, spirant. Ornithiæ, venti Septentrionales sub primum Ver triginta ferè diebus spirantes, qvibus spirantibus hyberno fugatæ frigore redeunt aviculæ. vid. Plin. l. 2. c. 47. Gell. l. 2. c. 22.

§. 6. Auster morbosus, Hor. od. 14. l. 2. *frustra per autumnos nocentem corporibus metuemus Austrum.* Zephyrus mollis & florifer, Hieronymo pincerna pluviarum. Eurus pestifer. Aqvilo serenus & salubris.

§. 7. Di-

§. 7. Diversis gentibus diversæ fuère Mensuræ. Romani singula passuum millia Cippo aut Lapide notârunt, unde ipsa milliaria Lapides dixêre.

§ 8. Milliare Germanicum commune continet 4000. passus. Stadium Græcorum 125. pass. Parasanga Persarum 30. stadia. Schœnus Ægyptiorum 40. aut 60. stadia. Galli & Hispani suas habent Leugas vel Leucas. Gallica Leuca continet passus 2400 Hispanica 3428. Russi qua dicunt spatia Vorest 250. pass. Scandia miliaria passus habent 6000.

§. 9. Mensuræ partes sunt. 1. Granum hordei, 2. digitus, qvatuor grana hordei lateribus se tangentia. 3 Palmus. qvatuor digitos habet. 4. Spithama tres palmas. 5. Pes qvatuor palmas. 6. Gradus duos pedes. 7. Passus simplex duos pedes cum dimidio. 8. passus Geometricus qvinqve pedes. 9. Orgyia pedes sex.

§. 10. Millaria alia magna, alia parva, alia communia.

DECAS VI.

§. 1.

AQvæ universum orbem ambientes uno nomine Oceanus appellantur, & hic à

qvatuor mundi plagis eſt qvadruplex : Eous, Occiduus, Auſtralis, Septentrionalis.

§ 2. Oceanus à littoribus diverſis diverſa ſortitur nomina. Ad Oſtium Obii fluvii Oceanus dicitur Sarmaticus, hinc mare Tartaricum, uno alias nomine Oceanus Hyperboreus, mare Cronium, Concretum, Amalchium, i. e. congelatum, mare pigrum, Morimoruſa, mare mortuum.

§ 3. Ab Oriente Oceanus Sericus, Sinenſis. Pelagus Hippadis vel Archipelagus S. Lazari.

§. 4 A meridie Oceanus Indicus, cujus pars Sinus Gangeticus, vulgò Golfo de Bengala. Mare Perſicum, Mare Arabicum, Mare aſperum, qvod & Erythræum dicitur & Rubrum.

§. 5. Verſus Occaſum Oceanus Æthiopicus ad Oſtia usqve Nigri fluvii. Inde Oceanus Atlanticus ab Atlante, Monte Mauritaniæ, Cantabricus, Aqvitanicus, Britannicus, Hibernicus, Caledonius, Germanicus.

§ 6. Hodiè dividitur in mare Del Zur ſeu Auſtrinum. Mar del Nord, ſeu Septentrionale. Mar d'Æthiopia ſeu Æthiopicum. Mar d'India ſeu Indicum. Dionyſius in Perieg. v. 41.

Οὕτως

Οὕτως ὠκεανὸς περιδέδρομε γαῖαν
ἅπασαν
Τόσος ἐὼν καὶ τόσσα μεθ' ἀνδράσιν οὔνο-
μαθ' ἕλκων.

§. 7. Magni ſinus qvatuor ſunt 1. Codanus, Tacito Mare Svevicum, vulgò Balthicum, Nobis die Oſt-See. 2. Mare Internum ſeu Mediterraneum, Melæ Noſtrum, medium inter Europam, Aſiam & Africam. 3. Sinus Perſicus. 4. Sinus Arabicus, in ſacris mare Rubrum, hodiè Mar di Mecca.

§. 8. A nonnullis his additur Mare Caſpium aut Hyrcanum, qvod & Mar de Sala hodie & Mar de Baku. Ruſſis Chuvalenske Mare, ſed peculiare potius mare eſt, qvàm ſinus, cum nusqvam Oceanum recipiat. Ejus accuratam deſcriptionem vide apud Olear. Itiner. l. 4 c. 16.

§. 9. Mare avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ mirus maris fluxus & refluxus. Altiſſimum mare 15. ſtadiorum eſt, ut vult Plinius. In alto mari nives non cadunt. Omnia pæne animantium genera, qvæ in terra degunt, in mari reperias Tauros, Canes, Eqvos. Briæ in Batavia Siren torrefacta & tomento

farcta oftenditur. In Erythræo mari Cete immania, ἔρεσιν ἠλιβάτοισιν ἐοικότα, ut loqvitur Dionyſ. in Perieg.

§. 10. Navigationis repertor, nonnullis dicitur Neptunus, aliis Cretenſes. Cat. Eleg. 2. *Prima ratem ventis credere docta Tyrus.* Navigationem in Americam antiqvis temporibus à Pœnis & Ægyptiis eſſe inſtitutam, cenſet Cluverius & per Atlantidem, Inſulam multò maximam, cujus apud Platonem in Timæo fit mentio, Americam intelligit, alii diſſentiunt. Sunt, qvi per Regionem Ophir, in qvam ſuas miſiſſe naves Salomon Rex legitur, eandem intelligunt, qvos ridet Scaliger. Olearii ſententia vero videtur ſimilior, ſtatuentis per Ophir intelligendam eſſe Ceilon Inſulam olim Taproban dictam. Inſulas Americæ vicinas detexit, à nautâ qvodam, ut putatur, edoctus Chriſtophorus Columbus Genuenſis auſpiciis Ferdinandi, Caſtellæ Regis Anno 1492. Continentem terram Americus Veſputius Anno 1497. unde America dicta, qvæ alio nomine vocatur India Occidentalis. In Indiam Orientalem, Promontorio bonæ ſpei ſuperato, primus navigavit Gvaſco Gama. Anno 1492. Fretum novum inter Americam & Auſtra-

Auſtralem terram reperiit Ferdinandus Magellanus, ab ipſo dictum Magellanicum. Anno 1520. ei à Barbaris occiſo ſucceſſit Sebaſtianus de Cano, qvi iter illud abſolvit, & primus orbem univerſum emenſus eſt navi, qvæ dicta Victoria hodieqve viſitur Hiſpali, in Hiſpania Bætica; ipſe Canus pro emblemate, in ſcuto habuit mundi typum cum hac epigraphe: *Primus circumdediſti me.* Aliud deinde fretum invenit Jacobus de Maire, qvod & Fretum le Maire dicitur, qvod ut minus periculoſum, freqventius hodiè, qvàm Magellanicum, illuc qvi navigant, tranſeunt. Batavi verò Anno 1594. per mare Scythicum ad orientalis Orbis oras navigationem inſtituerunt, qvam tamen glacie & nocte longâ impediti abſolvere haud potuerunt, cum enim d. 4. Novembris Sol occidiſſet, viſus iterum 24. Jan. anni ſeqventis. Vide Bert. Geographiam in Deſcriptione Hyperboreorum. Memorabile eſt illud qvaſi vaticinium, qvod extat apud Senecam in Medeâ v. 374.

Venient annis ſecula ſeris.
Qvibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus

Tiphysqve novos detegat orbes.
Nec sit terris ultima Thule.

DECAS VII.

§. 1.

DE mari interno dicendum fusius. Angustia inter Calpen Hispaniæ & Abylam, Africæ montem dicitur fretum Gaditanum, Herculeum, Estrecho de Gibraltar, qvia Gibel Arabice mons est Tartessus, civitas Hispaniæ, ad hoc fretum sita. Belgis die Straate.

§. 2. Ad Iberniam Ibericum, ad Baleares Insulas Balearicum, dicitur; hinc Sinus Gallus Ligusticus, Mare Thuscum, Tyrrhenum & Inferum, Corsicum, Sardoum, Siculum, Ausonium, Jonium, cujus pars Sinus Adriaticus, hodiè Golfo de Venetia, Mare Creticum, Cyprium, &c.

§. 3. Jonii maris sinus est nobilis Sinus, Corinthiacus, hodiè Golfo de Lepanto, cui opponitur sinus Saronicus, hodiè Golfo de Engia. Ægéum mare vel Archipelagus Europæus, refertus Insulis, à quibus nova mari induntur nomina, ut mare Myrtóum, Carpathium, Icarium. Hinc Helles-pontus est, Pro-pontis, Bosphorus Thracius, Pontus Euxinus, priscis Axenus

dictus

dictus ab accolarum moribus, Bosphorus Cimmerius à Cimmeriis populis in Chersoneso Taurica, Mæotis palus, hæc recipit Tanaïm, fluvium Europam ab Asiâ dirimentem.

§. 4. Ad Asiam Carium mare dicitur Pamphylium, Cilicium, Sinus Issicus, hinc Syriacum, Phænicium, Palæstinum & Judaicum.

§. 5. Ad Africam Ægyptium, Cyrenaicum, Lybicum, Numidicum, Mauritanicum, hodiè uno nomine Barbaricum.

§. 6. Freta nobiliora notanda, qvæ sunt Gaditanum, Danicum, Ormus, Babelmandel, Magellanicum, Le Maire, Davis apud Grönlandiam, Nassovicum ad Novam Zemlam, Anian inter Asiam & Americam, qvanqvam sunt, qvi hic fretum esse negant. Calpe & Abyla, Herculis columnæ, Mare dictum Ibericum ab Iberia, qvæ est Hispania, ab Ibero fluvio sic dicta. Myrtóum mare à Myrtillo, Oenomai aurigâ, qvi in eo periit. Saronicus sinus; Trœzeniis imperavit Saron, qvi cervum perseqvens in hunc sinum prolapsus, periit. Ægéum ab Ægéo, Thesei Patre, qvi filium in Creta periisse ratus, de scopulo in hoc mare præcipitem se dedit. Ægéum navi-

gare dicuntur, qvi in periculis versantur. Dionys. in Parieg.

Οὐ γὰρ τις κείνῳ ἐναλίγκια κύματ' ὀφέλλει.

Carpathium mare dictum à Carpatho insulam Cretam inter & Rhodum sita; Proverbium *Carpathius leporem*. *Icarus Icarias nomine fecit aquas*. Hellespontus, in qvo Helle, Athamantis, Thebarum Regis, filia, Phryxi soror, periit. Dionysio στενὸς αὐλῶν dicitur; latitudo ejus 7. stadiorum. Bosphorus, græcè Βοσπόρος, à bovis transitu sic dictus. Latitudo ejus 500. passuum Mæotim Dionysius dixit μητέρα πόντου. Et hæc & alia plura, qvi docet, edisseret, exponet.

§. 7. Orbis in tres magnas Insulas dividitur, qvarum Unam nos incolimus. Altera America est, tertia terra Magellanica. Nostra continens dividitur in Europam, Asiam, Africam. Bertius sex orbis partes fecit 1. Arcticam. 2. Antarcticam. 3. Americam. 4. Europam. 5. Asiam. 6. Africam.

§. 8. Europæ (cui nomen est ab Europâ; Agenoris filia *Hor. l. 3. od. 272. tua sectus orbis nomina ducet* aut ab Europo, Si-

po, Sicyoniorum Rege antiqvissimo,) ab Oriente termini sunt Ægeum mare, Hellespontus, Propontis, Bosphorus Thracius, Pontus Euxinus, Bosphorus Cimmerius, Mæotis Palus, Tanais & hinc ab oppido Tuja linea ducta ad ripam Obii fl. A Meridie mare Internum, Ab Occideute Atlanticum, à Septentrione Hyperboreum.

§. 9. Europa, Continentis nostræ pars minima, at cultissima, omnium abundans, præterqvam Aromatum, qvæ abundè subministrat Asia. Plinius eam Altricem Rectoris, omnium gentium populi terrarumqve longè pulcherrimam dicit.

§. 10. De Tanai notentur hi versus:

Qviqve duas terras Asiam Cadmiqve sororem
Separat, & cursus inter utramqve facit.

DECAS IIX.

§. 1.

Europæ longitudo est 900. mill. Germanicorum à Promontorio Sacro in Hispania. Hodie Cabo S. Vincente usqve ad Obii fluvii ostium. Latitudo à promontorio Rutubas vulgò Nortkyn usqve ad Tænarum promontorium Peloponnesi, milliarium 550.

§. 2. Præcipuæ ejus Regiones hæ ſunt: Hiſpania, Gallia, Germania, Vindelicia, Rhœtia, Noricum, Italia, Pannonia, Illyricum, Epirus, Græcia, Macedonia, Thracia, Mœſia ſuperior & inferior, Dacia, Sarmatia, Svecia, Norvegia.

§. 3. Vindeliciæ caput eſt Auguſta Vindelicorum, ad Lycum Rhætia in Alpibus & circà Alpes, partem etiam Bavariæ complectitur. Norici caput Vienna. Pannonia partem Auſtriæ, Stiriam & Hungariam complexa. Mœſia ſuperior & inferior trans Iſtrum. Dacia cis Iſtrum Epirus, hodiè Canina. Sarmatia ab Iſtro usqve ad Oceanum protenſa, cujus præcipuæ Partes Polonia & Moſcovia, ſive Ruſſia alba; huc etiam referenda Tartaria minor ad Mæotim paludem.

§ 4. Regna Europæ plurima, Ducatus innumeri, Archiducatus unus, nempe Auſtriæ. Magni Ducatus tres: Moſcovia, Lituania, Thuſcia.

§. 5. Inſulæ nobiliores adjacentes in Oceano Britannia, Hibernia, Thule, in mari interno Baleares, Corſica, Sardinia, Sicilia, Creta, Eubœa, Lemnos cum innumeris aliis. In ſinu Codano Seelandia, Fühnen/ Gottland/ &c.

§. 6. Fi-

§. 6. Figuram Europæ Strabo dedit Draconis, at commodius confertur fœminæ ſedenti, cujus Caput Hiſpania, Pectus Gallia, Venter Germania, Brachia Italia & Britannia, reliqvæ partes ſub veſtibus latè diffuſis latent, occultantur.

§. 7. De moribus Europæorum tritum illud circumfertur: Pons Polonicus, Monachus Bohemicus, Miles Auſtralis, Svevica Monialis, Italica devotio, Prutenorum Religio, Teutonum jejunia, Gallorum Conſtantia, nihil valent omnia.

§. 8. Hiſpania, vel ab Hiſpano Rege, vel ἀπὸ τῆς σπανίας, à raritate, vel ab Hiſpali ſic dicta, Græcis Iberia & Heſperia Ultima, mari undiqve cincta eſt, niſi qvà parte Pyrenæis montibus Galliæ adhæret. Meridionalis plaga benigniore cœlo ſoloqve gaudet, qvàm Septentrionalis, cujus bona pars inculta, deſerta, incolarum vel infreqventiâ, vel negligentia, Hiſpanico faſtu agri labores reſpuente.

§. 9. Hiſpania à Romanis diviſa in Citeriorem, qvæ eſt Tarraconenſis provincia, & Ulteriorem, cujus duæ partes Bœtica & Luſitania. Hodie tria ejus regna Principalia. Caſtella, Arragonia, Portugallia.

§. 10. Longitudo Hiſpaniæ maxima à

promontorio Sacro usqve ad Salſulæ fontem, milliarium 190: Latitudo à Celtico Promontorio, vulgò Cabo finis terræ usqve ad promontorium Saturni, milliarium 150.

DECAS IX.

§. 1.

FLuvii Hiſpaniæ nobiliores ſunt 1. Iberus, in qvem defluit Sicoris & Bilbilis, ad qvem oppidum ejusdem nominis, nobile Martialis Poëtæ natalibus, qvi ab eo vates Bilbilitanus dicitur. Iberus, hodiè Ebro dicitur. (2) Bætis, hodiè Gvadalqvivir. Bætis Olivifer Poëtis, qvia ripæ ejus oleis aliisqve arboribus fructiferis affluunt. 3. Anas, hodiè Gvadiana, condere ſe & poſt aliqvot milliaria emergere rurſus dicitur, ſed falsò. 4. Tagus nunc Tajo, aureas volvens arenas, ut eſt in fabulis, hinc Juvenalis: *Qvod Tagus & rutilâ volvit Pactolus arenâ.* 5. Durius, nunc Durio, fluviorum Hiſpaniæ maximus. 6. Minius, nunc Minio, à minio, cujus ea regio benigna parens, ſic dictus.

§. 2. Montes præcipui Pyrenæi, vulgò Ronze Val/ latinè Rocida vallis, interitu Rolandi hic à Vaſconibus per inſidias cæſi celebris.

celebris. Orospeda, in qvo Tagus oritur. Argenteus Mons Calpe, vulgò Gibraltar, cui vicina Petra Amantium, de qvâ Juvenis & Virgo, Barbari Regis filia, ut Patris vim manusqve evaderunt, mutuò ſeſe amplexi, dedere præcipites, in cujus rei memoriam crux in montis vertice erecta.

§. 3. Sinus celebres. Gaditanus, Virgitanus, Illicitanus, Sucronienſis.

§. 4. Regna & urbes clariores. 1. Gallicia, in qvâ Compoſtella, hodiè S. Jago, nobilis corpore S. Jacobi, Hiſpaniæ Protectoris. Orenſe, fontem habet calidum, cujus aqvæ ovis coqvendis inſervire poſſunt. 2. Legio, in eâ Salamanca, Academia nobilis, & Pallantia Metropolis eſt Legio vel Leon, magnifica Templo inſignis & Regum ſepulchris. 3. Aſturia, à qva eqvi veloces Aſturcones vocantur, in qva Ovetum vel Oviedo. 4. Biſcaja. Opp. S. Andreæ, portu nobile, & Bilbao, Metropolis. 5. Guipuſcoa, regio ferri chalybisqve feracisſima Oppida S. Sebaſtiani Fanum & Funtarabia, limes Hiſpaniæ & Galliæ.

§. 6. Navarra. Oppidum Pompelona vel Pompejopolis ſic dicta à Pompejo M. qvi hîc belligeravit cum Sertorio. Ad

hanc

hanc Urbem pugnans Ignatius Lojola vulneratus eſt, qvi armis tractandis ineptus, vitam amplexus monaſticam, Ordinem inſtituit Jeſuitarum. 7. Arragonia, opp. Cæſaraugusta S. Saragoſa. 8. Catalonia. opp. Barcino, nunc Barcelona antiqviſſima, Tarraco, unde dicta Tarraconenſis provincia. Ilerda, nunc Lerida. Horatius ad librum ſuum: *aut fugies*, inqvit, *Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam.* Monteferrato, ubi imago Mariæ religioſiſſimè colitur. 9. Valentia. Urbs Valentia, totius ferè Hiſpaniæ amœniſſima, incolæ, ut voluptarii, à cæteris contemnuntur. Saguntus, clade fideqve nobilis, Saguntina fames & fides, cui non nota? A pœnis enim Duce Annibale obſeſſi Saguntini, ultima experiri & ſe ſuaqve comburrere maluerunt, qvàm hoſti ſe dedere, & fidem Romanis datam ſolvere. Alicante, vino generoſo inſignis. Gvadalaviar Rio olim Durias fluv. hîc viſitur cujus ripæ roſis conſitę. 10. Murcia oppidũ Murcia & Carthagena, ab Asdrubale condita, portu clara & à Scipione uno die oppugnata, expugnata. Magna hîc ſcombrorum (Scombrus piſcis marini genus, cui in aqvis ſulphureus color eſt) piſcatio, unde vicinæ inſulæ dicuntur

Scom-

Scombrariæ. 11. Caſtilia duplex, Vetus & Nova, in Veteri Burgi Archiepiſcopi ſedes, Valla dolid, pulcherrima Hiſpaniæ urbs, à Regibus freqventata & palatiis magnificis Magnatum illuſtris. Numantia, à Scipione deleta. Cicero Hanc & Carthaginem duos terrores Romani Imperii dixit. In Nova Toletum, umbilicus Hiſpaniæ, Archiepiſcopatu primario inſigne. Hic Alphonſus Rex tabulas Aſtronomicas, ab ejus nomine Alphonſinas dictas, confecit, cui rei impendit 4. auri tonnas. Madrid, Regia ſedes, vulgò igne cincta dicitur ob mœnia è pyritis exſtructa. Huic vicinum Monaſterium S. Laurentii in Eſcuriali, qvod nec templo Salomonis magnificentiâ cedere dicitur, octavum nonnullis mundi Miraculum. Philippus ſecundus illud exſtruens 20. milliones auri inſumſiſſe dicitur. Mauſoléum hîc Regium Complutum. Biblia Polyglotta Complutenſia nota ſunt. Hæc ferè ſunt Regna Tarraconenſis Provinciæ.

§. 5. In Bœtica Regna hæc fuêre. 1, Granata Regio beatisſima, urbs Granata mille circiter turres continet, Maurorum ſedes Regia, qvi inde ejecti è Ferdinando R. annò 1492. Malaga, propugnaculum contra

contra Africam munitisſimum Munda, ad qvam Cæſar cum Pompejanis confligens, multa militum millia cecidit. 2. Andaluſia, ſic dicta, qvaſi Vandalorum domus, paſcuis læta; Caput Hiſpalis, nunc Sevilia, Emporium totius Hiſpaniæ florentiſſimum. Hiſpani dicunt: Homini, qvem Deus amat, Hiſpali domum largitur & victum. Corduba, cujus ſitus ad ſtuporem usqve amœnus, abundans roſis aliisqve fragantibus herbis, ad qvarum ſvaveolentiam captandam homines interdiu ac noctu circà hortos ambulant, Martial.

Duosqve Senecas unicumqve Lucanum Facunda loqvitur Corduba. Inventa hîc ars præparandi corii qvod vocant Corduan. S. Lucar portu nobilis. Eqvos habet hæc regio velocisſimos, Gianetti dictos, qvorum unus qvandoqve mille coronatis venit.

§. 6. Luſitaniæ pars portugallia, qvæ antehac Hiſpano Regi paruit; at Johannes, Dux Brigantinus, titulum Regis Portugalliæ, inſcio Philippo II. Hiſpano Rege uſurpare cœpit anno 1640. Caput Regni Olyſſipo, vulgò Lisbona, poſt Lutetiam Pariſ. populoſisſima; Ædificia olim numerabantur 20000, nunc eorum major

dici-

dicitur esse numerus. Templum habet Misericordiæ magnificentissimum. Conimbria, à qvâ dictum Collegium Conimbricense. Brigantia, Bracara, Porto. Ad Portugalliam spectat Algarbiæ Regnum, totius Hispaniæ augustissimum, metropolis ejus, Tavira seu Tavila.

§. 7. Populi celebriores Cantabri bellicosissimi Romanâ teste historiâ. Horat. od. 8. l. 3. Carm. *Cantaber serâ domitus catenâ.* Vascones, Celtiberi, Turditani, qvorum tantæ opes fuisse dicuntur, ut argenteis præsepibus ac doliis uterentur.

§. 8. Insulæ adjacentes in mari Interno Baleares duæ, qvæ Gymnesiæ Græcis dictæ, hodiè Majorca, Minorca dicuntur. Balearici olim à cuniculis malè divexati Romanorum opem, memorante Plinio, imploravêre. Ebusus, hodiè Yvica, animalia nescit noxia, contrà vicina huic Colubraria seu Ophusa, serpentibus veneatissimis infesta est. Hæ Duæ Insulæ Pityusæ dicuntur à pinuum multitudine. In Oceano Gades nunc Cadiz cum oppido ejusdem nominis insigni fano Herculis, qvi Geryonē tricorporem, Regem hujus Insulæ ut est in fabulis, interfecit, Ultra Gades vix qvisqvā Veterum est progressus, unde remotæ Gades dicuntur ab Horat. od. 2. l. 2.

§. 9. A-

§. 9. Academiæ Salmantica, Complutensis, Conimbricensis, Ilerdensis, aliæ.

§. 10. Hispaniam prima omnium coluit Celtarum gens, ab Ascena pronepote Noachi propagata, & in Europam deducta; hinc Phœnices partem ejus occupârunt, partem Græci Pœni postea majorem partem tenuêre; post hos Romani, circa annum Christi 400. Gothi ac Vandali, Germanicę gentes, eam invasere, hinc anno 770. Saraceni cum Mauris qvàm plurima in eâ Regna constituerunt, qvod ejecit Ferdinandus Catholicus, qvo de supra. Qvod ad mores, Hispani prisci fuêre feri, immanes ad arma propensi, ad mortem subeundam paratissimi, unde Sil. Italicus de Hispanis: *Prodiga gens animi, cui fati modus in dextrâ*; hodiè taciturni, nimium in speciem graves, jactabundi, superbi, pugnaces, cum extraneus deest, domi hostem qværunt, ingeniosi, etiam docti, si erudiri se patiantur: nam vix mediocriter eruditi, illicô doctissimi sibi videntur, ὑψηλοφρονοῦντες.

DECAS X.

§. 1.

JUgis Pyrenæis superatis, ingredimur Galliæ

liæ Regnum, cui nomen à Gallis incolis, ita dictis à Celticâ voce Gallen/ qvod nobis nunc eſt Wallen/ iter facere, atqve ita Galli ſunt peregrinatores, Wanderer. Græci Galatas dixere, natali enim ſolo relicto hi populi exteras Regiones, Italiam, Illyricum, Græciam & Aſiam petière. Alii Gallos ſic dictos putant ἀπὸ τοῦ γάλακτος, à candore corporum.

Bapt. Mantuanus:

Ignea mens Gallis & lactea corpora, nomen.
A candore datum populis.

Hodiè dicitur Franckreich/ à Francis, Germaniæ populo, qvi Rheno trajecto occuparunt Auguſtam Trevirorum, & mox longiùs progreſſi Regnum in Gallia conſtituerunt, circa annum Chriſti 406. Primus Rex Waramundus fuit.

§. 2. Termini Galliæ Veteris Rhenus, Alpes, Varus, Mare Internum, Pyrenæa juga, Oceanus Aqvitanicus, Britannicus. Longitudo maxima à Pyrenæis jugis ad munimentum Schenckii, die Schenckenſchantz; Latitudo à Gobæo promontorio, vulgò Le four, usqve ad Varum fluvium à tortuoſis mæandris ſic dictum, qvi, Liguriam dividit à Narbonenſi provinciâ.

§. 3. Flu-

§. 3. Fluvii Galliæ nobiliores: Mosa die Mase in Vosego monte orta. Scaldis, die Schelde/ Gandavum & Antverpiam irrigans. Seqvana, la Seine, qvæ ad Lutetiam recipit Matronam, le Marne; Ligeris, la Loire, fluviorum pater dictus. Garumna, La Garonne, Burdigalam alluens. Hi in Oceanum se exonerant. Rhodanus ex Alpium jugo, qvod Furca mons dicitur, ortus, lacum Lemannum transit, & ad Lugdunum Ararim pigrum, qvi nunc dicitur la Saone, recipiens, Isaram itidem & Druentiam, mare internum petit.

§. 4. Montes Gebenna, Jura, Vogesus, Arduenna Sylva, vulgò der Lütticher Wald.

§. 5. Dividitur Gallia in Cisalpinam & Transalpinam; Cisalpina etiam Togata & Circumpadana, hodiè Lombardia dicitur, & pars est Italiæ, de Transalpina nunc nobis sermo. Ea dividitur in Braccatam à braccis, vestibus fluxis, intonsis, varii coloris, ita dictam, item Narbonensem provinciam, & Comatam, divisam in Aqvitaniam, Celticam seu Lugdunensem Provinciam ac Belgicam.

§. 6. Provinciæ Narbonensis mira est fertilitas & opulentia. Partes ejus Langvedocum,

docum, Provincia, Delphinatus, unde Primogenitus Regis filius Dauphin vulgò dicitur, Sabaudia. Populi celebriores Allobroges in Sabaudiâ. Horatius de his od. 16. l. Epod.

Novisqve rebus infidelis Alobrox.

Centrones, Caturiges, Salyes, qvi Massiliensibus graves primi arma Romanorum experti, Volcæ. Urbes præcipuæ Martius Narbo, qvæ Urbs nomen dedit provinciæ, Mons Pessulanus, Mompellier. Hîc Academia, Arte Medicâ nobilis. Cum Cives Magistratus Regios, populo campanæ sonitu convocato per seditionem occidisset, Rex eos potestate pulsandi campanas mulctavit idqve jus ad Academiam transtulit. Arelate, hodiè Arles, qvæ Regno Arelatensi nomen dedit Aqvæ Sextiæ, hodie Aix, Massilia, Marseille, claustrum Regni Francici maritimum, portusq; commodissimus. Olim humanitatis studiis maximè floruit, Trilingvis dicta, qvod Græcè, Latine, Gallicè loqveretur. Hîc Lazarus ille Bethaniensis, qvem Christus in vitam revocavit per annos 30. Evangelium docuisse dicitur. Avenio, hodiè Avignon, qvò olim sedes Pontificia per Clementem V. Papam Româ translata est, eò qvòd Romani Ne-

potem ejus ob nefanda ſcelera ante palatium Papæ ſuſpendiſſent. Hîc viſitur monumentum Lauræ illius pulcherrimæ Petrarchæ verſibus nobilitatæ. Nemauſus, hodiè Niſmes, olim urbs nobilis, cui vicinus pons Gardius, mirandi operis. Ad oſtia Rhodani campus viſitur, magnâ vi lapidum oppletus: nam cum Hercules contra Gigantes hîc dimicaret, & tela deficerent, imbrem lapidum à Jove impetravit; Ita Mela, Arauſio, hodiè Orange, qvæ à Gallico Regno immunis ſuo paret Principi. Toloſa ad Langvedociam pertinet, Urbs maxima & amœniſſima. Proverbium de poſſeſſione infelici uſurpatum: *Aurum Toloſanum habet*. Valentia ad Rhodanum. Vienna, in qvam relegatus eſt Herodis Magni filius Archelaus. Gratianopolis, nunc Grenoble. Sabaudiæ oppida ſunt: Geneva, ævo etiam Cæſaris nota, in qva Calvinus & Beza docuerunt, & Cameriacum, metropolis Sabaudiæ.

§ 7. Aqvitania, cui nomen eſt ab aqvis, à Pyrenæis montibus ad Ligerim usqve extenditur. Populi celebriores Vaſcones, Pictones, Santones, Lemovices, Arverni, Tarbelli. Urbes primariæ Burdigalia, Gviennæ caput, Auſonii P. patria, nunc Bour-

Bourdeaux. In hac numerantur 30. ci-
vium millia. In Bearnia opp. Pau, Parla-
mento inſigne (Parlamenta ſunt Conven
tus Juridici, hodieqve decem, olim octo
fuere in Gallia Parlamenta) Bigornia co-
mitatus, oppidum Tarbe. Gvaſconiæ co-
mitatus, oppidum Aux. Qvercy oppidum
Aginnum, vulgò Agen. In eâ vixit I. Cæ-
ſar Scaliger, cujus ſepulchro legitur inſcri-
ptum : *Iulii Cæſaris Scaligeri Qvod fuit.*
Perigortum opp. Perigeux. Sanctonia Re-
gio, ob fertilitatem Margarita Galliæ di-
cta. Metropolis ejus Mediolanum, nunc
Sainctes. Rupella, nunc Roſchelle, Re-
formatæ Religioni addicta, unde à Rege
Ludovico XIII. poſt diuturnam obſidio-
nem capta & mœnibus nudata eſt A. C.
1624. Pictavia, nunc Poictou viperis ab-
undat, qvæ Theriacæ præparandæ inſer-
viunt. Metropolis Pictavia, nunc Poi-
ctiers : In hac S. Hilarius docuit. Scaliger
de Urbibus Galliæ : *Pictavium eſt animus, cætera corpus erunt.* Lemovicum, opp.
Lemovicum, vel Bituriensis ducatus, nunc
Berry. Urbs Avaricum, nunc Bourges, una
e maximis Galliæ Civitatibus, ferè inex-
pugnabilis. Arvernia. Opp. S. Flour.

§. 8. In Lugdunenſi provincia populi
Hedui,

Hedui, ſcribunt alii Ædui, Populo Rom. amiciſſimi, qvorum apud Cæſarem multa fit mentio. Opp. Augustodunum, nunc Auſtun in Ducatu Burgundiæ, adeò referta Urbs antiqvitatibus Romanis, ut Roma Gallica à nonnullis dicta ſit. Andegavi opp. Juliomagus, nunc Angiers, vocatur regio Anjou. Turones, nunc Touraine, Oppidum Cæſarodunum, nunc Tours; Oſismii in Britannia qvæ duplex Inferior, cujus eſt Nantes, Britanniæ Urbs maxima, & Superior, cujus Rhenes, cum ſcilicet Angli Saxones Britannos patriâ ejeciſſent, qvo de infra, in hanc Galliæ partem habitatum conceſſerunt. Normaniæ caput eſt Rotomagus, nunc Roan, ad Seqvanam fl. in primariis Galliæ urbibus numeranda, Cales maritima civitas, ex qva in Angliam commodè trajicitur. Pariſii, qvorum Lutetia, vulgò Paris, Urbs totius Europæ, poſt Conſtantinopolin, clarisſima, qvam Seqvana dividens tripartitam conſtituit. Clara hæc ſede Regiâ, Arx Loure dicitur, conclave Regium auro & gemmis refulget. Academiâ, cujus Rector ipſos etiam Cardinales præcedit. Studioſorum numerus aliqvando triginta fuit millium, Ponte cui 68. ædificia magnifica ſuperſtructa, Templo

lo Beatæ Virginis in Seqvana exstructo,
qvod 170. columnis innititur. Arce Ba-
iliâ Principum & Magnatum carcere &
egum Gazophylacio. Vicina Arx Regia
ontainableau, augustissima, ut & le Bois
e Vincennes, it. Wicestria, ubi Diabolus
lim publicè Magiam docuisse scribitur,
odieqve locus spectris infestus esse dici-
r. Oppidum etiam vicinum S. Dionysii,
unc Denis, qvod claret templo opulen-
issimo, Regum sepulturâ nobili. Regio
ance dicitur. Picardia, regio nobilissi-
a, opp. Ambianum, nanc Amiens, cu-
s castrum penè inexpugnabile habetur.
ampania, Opp. Rhemos, nunc Reims, in
o Reges inunguntur oleo, qvod cœlitùs
issum ferunt. Hinc habitârunt Remi &
atalauni, in qvorum campis Attila, Hun-
orum Tyrannus, ab Ætio, Theodosio
in. imperante, victus est ingenti strage.
rgundia duplex. Occidentalis, qvæ &
ferior, & Ducatus; & Orientalis, qvæ
perior & Comitatus dicitur, vulgò Fran-
Contè, eamqve tenet regionem Hispa-
s, ut Imperii feudum. Illius est Chalon,
ujus Bisantzon, totius Burgundiæ grana-
um & Dole munitissima: Hæc sedes Se-
anorum. Segusianorum Lugdunum est,

nunc Lyon ad Araris & Rhodani confluentes. Episcopus hujus urbis fuit Irenæus, Polycarpi discipulus. Julianus Apostata hîc in Christianos crudelissimè sæviit, unde à sangvinis profusione fluvio nomen mutatum, & Saone dicitur, qvi veteribus Arar fuit Hinc Anno 1160. prodiit Johannes Waldo, qvi Pontificiorum nonnulla dogmata oppugnavit, unde Waldenses & Pauperes de Lugduno dicti, qvorum hodièqve reliqviæ supersunt. Hîc etiam Caligula facundiæ certamina instituit, in qvibus Oratores victos spongiâ lingvâve sua scripta delere oportebat, nisi ferulis objurgari, aut flumine mergi mallent. Juv. Sat. 1. de Oratore nimis trepido: *Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.*

§. 9. Belgica vetus clauditur Rheno Rhodanoqve, Lacu Lemano, Matrona Seqvana, Oceano Britannico, Bona ejus pars hodiè vocatur Germania Inferior, vulgò Niederland. Hisp. Flandria, cujus paulò pòst provincias & urbes recensebimus. In veteri Belgicâ populi fuêre nobiliores Taxandri in Zeelandia, Menapii in Brabantiâ, Morini in Flandria ad Oceanum. Ambiani ad Samarũ fl. opp. Samorobriga, nunc Amiens, Bellovaci in Belgio. Atrebates.

Regio

Regio eorum Artois. Opp. Atrebatium, nunc Arras. Tungri circa Mosam opp. Atuatura nunc Tongerem. Svessiones. opp. Augusta Svessionum, nunc Soisson. Treviri, qvorum est Augusta Trevirorum, Urbs antiqvissima ad Mosellam. Mediomatrici, qvorum Divodurum, nunc Metz: Leuci in Lotharingia, qvorum opp. Nansium, nunc Nancy. Seqvani, ubi Besançon, olim Vesontium, in Comitatu Burgundiæ. Rauraci circa Basileam. Augusta Rauracorum, nunc vicus August. Hinc Helvetii, de qvibus infrà. Ad Rhenum habitarunt Trebocci in Alsatia. Oppidũ Argentoratum, Straßburg. Nemetes, Oppidum Novio-magus, Speyer. Vangiones, Opp Wormatia & Moguntiacum, Mayntz. Ubii. Oppidum Colonia Ubiorum vel Agrippinensis, Cöln. Gugerni in Gelria, hinc Batavi Rheni Insulam incoluerunt. Gallorum fortissimi Belgæ. Bellicosissimi Helvetii. Clarissimi Treviri.

§. 10. Academiæ in Gallia 23. Lutetiæ, Burdigalæ, Tolosæ, Lugduni, Monte Pessulano, Pictavii &c. Qvanqvam in qvibusdam Jurisprudentia tantùm docetur. Qvod ad mores, Virtute militari Gallos olim præstitisse inde constat, qvod in iis

debellandis Cæſar tantum temporis & laboris conſumſerit, qvod ipſam Romam cum magnâ Italiæ parte occupârint, devaſtârint, Apollinem Delphicum, duce Brenno, ſpoliârint, in Aſiam etiam Coloniam miſerint &c. Vates eorum dicti ſunt Bardi, qvi virorum fortium laudes canebant; Philoſophi & Sacerdotes Druides, qvi congreſſum hominum fugientes ſacra peragebant, μετεμψύχωσιν credebant. Hieronymus *Gallia* inqvit, *viris fortiſſimis & eloqventiſſimis, ſemper abundavit.* Clodovéus I. circa annum 599. cum Alemannis Galliam vaſtantibns congreſſus, cum victoriæ ſpem dubiam eſſe cerneret, Deus, inqviebat, qvem Clotildis uxor colit, (Chriſtiana hæc erat) victoriam adeptus, caput hoc meum ac gentem tibi omnem trado dicoqve; Ita vicit, & fidem Chriſtianam amplexus eſt; Rex hodié Galliæ vocatur Chriſtianiſſimus, ut Hiſpaniæ Catholicus, Britanniæ Defenſor Fidei. Hodiè Galli liberi ſunt oris, ad arma proni, litigioſi, unde in eâ tanta rabularum multitudo; elegantes morum cenſores, in veſtitu novatores. Annui Regni reditus cenſentur 15. milliones auri.

DECAS XI.

§. I.

POsteaqvam de Belgicâ veteri nonnihil diximus, restat, ut de hodierna aliqvid addamus. Germania inferior XVII. provincias complectitur. IV. Ducatus (1) Brabantia, cujus urbs primaria Antverpia, Antorff/ad Scaldim, Emporium celeberrimum, in eâ Castrum munitissimum. Bruxellæ, urbs populosa, sedes Ducis aliorumqve Magnatum, Lovanium amœnissimum ubi J. Lipsius docuit. Mechlinia, urbs nitidissima. In eâ Corolus V. Imperator educatus; cives habet moratos, unde appellantur die Meisters von Polyt. Breda. Buscum vel Silva Ducis, vulgò Hertzogenbusch arte & naturâ urbs munitissima, â Fœderatis Belgis expugnata Anno 1629.

§. 2. (2) Limburgum nihil habens illustre, præter opp. Limburgum (3) Lutzeburgum. Opp. Lützenburg. 4. Geldria, cujus pars Hispano subest, in qvâ urbes Ruremunda, ad ruræ Mosæqve confluentes, & Gelre vel Geldra. Pars altera confœderatis se junxit, & dividitur in Velaviam opp. Arenacum, nunc Arnhem. Betaviam, opp. Noviomagus, nunc Nimmegen/ad

Vahalim, & Comitatum Zutphaniensem, opp. Zutphen. Hi fuerunt qvatuor Ducatûs.

§. 3. Comitatûs sunt septem [1] Flandria, Urbes Gandavum, Gent. cujus circuitus est 3 milliarum Germ. ædes obtinet ultra 3500. Hîc natus est Carolus V. Ob rebelles civium animos castellum addidit huic idem Carolus. Burgæ, qvibus â ponte nomen, urbs amœnissima. Johanna, Uxor Philippi Pulchri Hisp. R. cum vidisset ornatum Matronarum hujus urbis, conqvesta est se non solam esse Reginam. Ostenda obsidione, qvæ ultra 3. annos duravit, clara, cœpit ea anno: ostenDe nobIs paCeM. desiit anno. ostenDaM paCIs InItIa. Duynkerka piratikâ infamis, nuper Galliæ Regi ab Anglis vendita; Grevelinga, arce & portu nobilis, Yperæ, Bierfliet, patria Guilielmi Beukelens, qvi anno 1397. primus haleces sale & Muriâ conditas tonnis inclusit, cujus Manibus ipse Carolus V. adiens sepulchrum, pro invento isto gratias egit. Duacum & Tornacum, amplæ & venustæ civitates. (2) Artesia, cujus caput Arras, de qvâ supra 3. Hannonia, Hennegau/ Metropolis, Montes, nunc Mons. Valentinianæ, optimis legibus institutæ,

Came-

Cameracum, nunc Cambray. 4 Hollandia, totius Belgicæ ob commercia celeberrima, ita dicta, qvasi ein holes Land. Urbes Dordracum, Dortrecht Urbs dives, potens, elegans, in ipsis undis sita, maris inundatione anno 1421. in qva ultra 72. pagi & centies mille homines perierunt, insula facta Harlemum, ad qvam urbem anno 1403 fœmina marina ejecta est, qvæ docta vesci pane, lacte &c. item nere & alia opera domestica exeqvi, aliqvot annos vixit, at muta semper mansit. Vid. Cluv. Cl. Bunonis. Eadem superiori seculo Albani Ducis crudelitatem omnium maximè experta est. Lugdunum Batavorum Leyden, urbs munita, elegans, tiliis referta, doctissimorum Virorum alumna. Amsterodamum vel potius Amstelodamum ab Amstela fl. sic dictum, opulentissimum totius orbis Emporium: Solum ejus adeò palustre, ut ædes festucis ligneis, summo labore & sumtu in aqvam intrusis, insistant. Curia spectatu digna, Duo habet Ergastula (Zuchthäuser) unum pro maribus, alterum pro fœminis das Spinnhauß. Delphium, vulgò Delfft, à cerevisiâ commendatur, & harmaniâ campanariâ. Gouda â fl. Goud egregia civitas, Ro-

terodamum ad Roteram rivum, patria Eraſmi, cujus ibi ſtatua in foro marmorea viſitur. Medemblicum ſatis munitum, ubi reſidebat Radbodus, Friſiæ Rex, qvi baptizandus â Wulfranco Epiſcopo, pedem è baptiſterio retraxit, cùm cognoviſſet Majores ſuos gentiles ad Orcum migraſſe, ideoqve ſolus cœlum petere recuſavit. Enchuſa, ubi copioſiſſima halecum piſcatio. Alcmaria, Gymnaſio illuſtris. Haga Comitis, pagus totius Europæ maximus, qvippe qvi ultra bis mille ædes complectitur. Conventus hîc Ordinum Belgii celebrantur. Vicinum huic Cœnobium, in qvo ſepulta, Margareta Comes, qvæ Anno 1276. infantes promiſcui ſexus peperit 364. Inſulæ adjacentes ſunt Texel, & Flevolandia, Vlieland, navium ſtationibus celebres (5) Zeelandia, in complures inſulas diviſa, qvarum nobiliores Walachria, Scaldia, Beverlandia, Auſtrina, Middelburgum. Metropolis totius Zeelandiæ Vliſſingen, munitione clara, clavis Oceani Belgici (6) Namurcum, cujus caput Namurcum ad Moſam & Scamram fl. (7) Zutphania, opp. Zutphen ut ſuprà diximus.

§. 4. Marchionatus unus S. Imperii, Ant-

Antwerpia, qva de ſuprà. Dominia (1) Friſia Occidentalis, cujus oppida Leovardum, Harlingen, Franickera (2) Mechlinia una Civitas cum pagis (3) Trajectum vel Ultrajectum, **Utrecht**/ olim Epiſcopo paruit, qvi 40. millia armatorum armare potuit, inde Hollandiæ ordinibus, tumultu orto, ſe adjunxit. Amersfordia, loco fertili & amœno ſita, ubi viſuntur Noſocomia, Gerotrophia, Xenodochia, Orphanotrophia. 4. Tranſiſalania, cui à ſitu nomen. Tres ejus partes: Saland, Drente, Twente. Metropolis Daventria, Emporium celebre. *Swolla* qvæ Rep. adeò laudabili florere dicitur, ut neqve Ariſtoteles, neqve Plato meliorem deſcripſerint. 5. Gröningenſe Dominium. opp. Gröninga, nuperâ obſidione, qvam fortisſimè ſuſtinuit, clara.

§. 5. Hiſpano parent Brabantia, Limburgum, Luzeburgum, pars Gelriæ, Flandria, Arteſia, Hannonia, Namurcum, Marchionatus Imperii, Mechlinia. Reliqvæ Hiſpanicæ ſervitutis impatientes, libertatem fortisſimè tuentur, easqve Hiſpaniæ Rex nuper planè liberas pronunciavit.

§. 6. Academiæ Hiſpanicæ ditionis

ſunt Lovanium & Duacum Confœderatorum Lugdunum Batavorum, Franikera, Gröninga, Ultrajectum.

§. 7. Incolæ ingenio excellunt, vini ac lucri nimis cupidi, ad bella terrâ mariqve gerenda apti, negotiatores optimi.

§. 8. Helvetiæ termini Rhenus. Lacus Brigantinus, Jura mons, Lacus Lemanus, Rhodanus. Populi in eâ bellicoſiſſimi olim hodieqve, à Cæſare primum ſubacti, poſt imperio Germanico ſubjecti, circa annum 1400. gravem Præfectorum inſolentiam pertæſi, jubentium pileum perticæ impoſitum pro ipſo Gubernatore honorare, imperante Alberto Auſtriaco, in libertatem ſe vindicarunt, eamqve hactenus, arctisſimo inter ſeſe fœdere ſancito, tuentur. Die Schweitzer vocantur à vico, qvondam capite, Swiß/ ubi ſedem fixiſſe dicuntur, qvi novis qværendis ſedibus ex Svecia huc aliqvando profugerant.

§. 9. Helvetia olim diviſa in IV. Pagos Tigurinum, Tugenum, Ambronicum, Urbigenum. Hodiè in XIII. pagos ſeu Cantons, ut vocant Galli Incolis, Die Oerter.

§. 10. Civitates primariæ ſunt Berna ad Arolam fl. qvi eam in modum Inſulæ ferè cingit, urbs potentisſima, cui etiam ſub-

jecta Lauſanna, Academia nobilis. Lucerna ad montem Pilati, vulgò dictum Fracmont. Tigurum, vulgò Zürich. Tugium nunc Zug/lacui piſcoſo adjacens. Friburgum, in monte partim altiſſimo, partim in valle undiqve acclivis montibus clausâ ſitum. Soloturn inter Civitates antiqviſſimas numeratur. Baſilea ampliſſima, ſtudiis maximè floret, Rheno interlabente in duas partes diviſa. Schafhuſia vel à navi, vel ab ove, qvâ pro inſigni utitur, ſic dicta, cui vicinus cataractes Rheni, ad Lauffenburg, per qvas cataractas funibus nautæ demittunt naves. Aqvæ Helvetiæ, Reichsbaden ubi conventus fit totius Helvetiæ.

DECAS XII.

§. 1.

LAcûs Helvetiæ præcipui, Brigantinus vel Acronius, der Bodenſee/qvem Rhenus impermixtus tranſire dicitur; adjacent ei Brigantium & Lindavium in Inſulâ ſitum. Tigurinus, Lucernenſis, Tugenus.

§. 2. Confœderati Helvetiis Valeſii, vulgò die Walliſer/ Alpes Penninas incolunt Populi olim Viberi, Seduni, qvorum eſt Sedunum, Epiſcopale oppidum Germ. Sitten/ Veragri, qvorum Octodurum, nunc Martinach, cujus multa apud Cæſa-

rem fit mentio. Nantuates. Vallesia hodiè in Superiorem & Inferiorem dividitur.

§. 3. Ad Helvetiam etiam spectant Valles Italiæ proximæ, qvæ à certis Artificum generibus plerumqve habitantur, ut Vallis Augustana ab Institoribus. Cæsia à Latomis & Cæmentariis. Oscela à Cultrariis. Vogetia à Fumariis.

§. 4. Britannia, olim dicta Albion, ab Albis rupibus, ut volunt, duo Regna complectitur, Angliam, qvæ Britannia Major, & Scotiam, qvæ Minor dicitur. Priscis alter Orbis ob amplitudinem appellata. Virg. 1. Ecl.

Et penitus toto divisos orbe Britannos. Longitudo maxima ab Orcade promontorio ad Dubrim portum 150. milliaria Germ. Latitudo inter Dubrim ac Boterium vulgò Detlandes End mill. 70.

§. 5. Anglia, cui nomen intulerunt Angli & Saxones Germaniæ populi, qvi Britannis migrare jussis regnum occuparunt, dividitur in Cambriam s. Walliam, à qva primogenitus Regis filius Princeps Walliæ dici solet, & Lœgriam. Angli olim eam in septem diviserunt Regna, qvorum primum erat Cantium, ex Cæsare notum, hodiè in 52. Comitatûs, qvos incolæ

Schi-

Schires vocant, distincta est. Populi præcipui Silures & Brigantes.

§. 6. Fluvii nobiliores Tamesis, vulgò die Temß/ Humber.

§. 7. Urbium Princeps Londinium ad Tamesin fl. situm. *Urbs animis numeroqve potens & robore gentis.* Epitome totius Regni, regimine gaudet libero, licet in eâ sedes regia sit Withal, ubi rex Carolus I. Stuart, Anno 1649. hujus seculi securi percussus est, nuper verò filio ejus Carolo II. Anno 1660. in Regno restituto Olivier Gromwelius, Regiæ reus cædis è sepulchro suo protractus, & ab infelici arbore suspensus est. Templa Parochialia obtinet 121, incolas 350000. Pontem miræ structuræ & Templum habet magnificentissimum West-Münster/ Regum coronatione & sepulturâ nobile, cum sacello septem mundi miraculis annumerando. Vicinæ huic Arces Regiæ Winsor, Hamtoncurt, aliæqve augustissimæ. Bristolia, florentissimum post Londinium Emporium. Cantuaria Archiepiscopatu insignis, ut & Eboracum, vulgò Jorck/ unde Regis filius secundo genitus dicitur Hertzog von Jorck. Oxonium & Cantabrigia, illustribus Academiis claræ. Præterea Hull, Colchester, Pleymouth, Yarmouth.

§. 8. Sco-

§. 8. Scotia, qvæ ſuis olim Regibus uſa, nunc Angliæ Regi paret, Solvejo & Tueda fluviis ab Anglia, ſeparatur. Viſuntur hîc Rudera murorum, qvos Adrianus & Severus Impp. adverſus Pictorum & Scotorumq; irruptiones exſtruxiſſe dicuntur. In eâ Sylva Caledonia & mons Grampius, qvi Scotiam dividit in Auſtralem ſ. Superiorem, & Borealem ſ. Inferiorem, illa fertilior eſt & incolas habet humaniores, qvos vocant Altæ terræ viros. Hæc incultior, ejusqve incolæ ſylveſtres, qvos Imæ terræ viros appellitant.

§. 9. Caput Urbium Edenburgum inter colles ſitum, Regum antehac ſedes, Urbs ampla, magnificis ædificiis inſtructa cui vicina Arx in rupe inexpugnabili Caſtrum Puellarum dicitur. Prætereà celebres ſunt Urbes S. Andreas & Glaſco, Archiepiſcopatibus inſignes. Aberdonium, Academiâ illuſtre, qvâ & S. Andre illuſtratur. Sylva Caledonia & Regno & Oceano nomen fecit.

§. 10. Angliæ adjacent Inſulæ Mona, nunc Maan. Menavia, nunc Angleſey, Continenti viciniſſima. Vectis, nunc Wicht / Regis Stuarti captivitate nota. Scotiæ Hebrides 30. amplius numero, &

in-

in Oceano Caledonio Orcades, 40. amplius Insulæ, qvarum primaria Pomona, vulgò Mainland. Hæ Insulæ Arbores nesciunt & serpentes, circa easdem halecum multa piscatio.

DECAS XIII.

§. 1.

HIbernia seu Ivema, hodiè Irrland/suis olim Regibus usa, nunc pars est Regni Britannici. In qvatuor Regiones dividitur, qvæ sunt: Langinia, Mononia, Conacia, Hultonia. Latitudo maxima est 30. mill. Germ. Longitudo 60. Mill.

§. 2. Regni caput Armach, sedes Archiepiscopi, ab hac secunda Dublinum opp. munitissimum, hîc sedes Proregis & Academia, Arglas portu celebris: It. Waterforda.

§. 3. Britanni olim feri & inhumani, maximè qvi Scotiam Septentrionalem incolebant, nunc gens est cultissima, ad tumultus tamen & furta propensa. Angli vultu nitent, ut Angeli, dixit Gregorius Pont: Stanni optimi in Anglia proventus maximus, ovium ingentes greges, colles, arbore rarâ vestitos, tutò pererrant. Nam lupos nescit Anglia, qvos Scotia habet ferocissimos. Edgarum Regem ferunt Luduallo,

Princi-

Principi Walliæ 300. lupos qvotannis, vectigalis nomine persolvendos, imperâsse, qvod cum tribus annis præstitisset, qvarto destitit, negans lupos amplius reperiri posse. Molossi hic præstantissimi, Asinus nullus, Laurus multa, Rosmarinus tàm copiosus,, ut eo ad sepes utantur.

§. 4. Scoti bellaces & bellicosi, arma iis arcus & sagittæ cum lato ense & pugione sub Zonâ acutissimo. Ingenia eorum vivida, ignea, ad Sapientiæ studia aptissima; exemplo esse possunt Johannes Duns, cognomine Scotus, qvem vulgus Doctorem subtilem, Scaliger limam veritatis vocat, & Georgius Buchananus Poëta incomparabilis. In Scotia visitur saxum surdum, ad qvod adstans, si sonitum edas, is, qvi ex adversâ parte saxo est proximus, nihil audit, qvi remotissimus, optimè. In Lacu Lomundo tria miranda, pisces sine pinnis, Insula natans, fluctûs acerrimi sine vento. Qvinto milliari ab Edenburgo, in ostio fluminis est rupes, formam præ se ferens jacentis rotæ, Nautæ vocant den Baß/ in ea rupe anseres, Soleniers nomine, sapore penè halecis, qvâ victitant, nidos habent, eâ naturâ, ut, nisi mare conspiciant, non magis se possint commovere, qvàm si sopiti

sint,

ſint, fœmellæ uno pede ovis inſiſtentes, ea ante non relinqvunt, qvàm excluſa ſint, in aliam delati Regionem, qvaſi ſuffocati ſtatim contabeſcunt.

§. 5. Hibernia adeò herbis luxurioſa eſt, ut, pecora, niſi pabulo prohibeantur, diutiùs paſta diſſiliant. Incolæ inconditi & omnium virtutum, ignari magis, qvàm aliæ gentes. Hæc Mela. Nullus in eâ angvis, inqvit Solinus, avis rara, apis nusqvam (qvod poſtremum falſum eſſe ait Bertius, cùm Apum in eâ tanta ſit multitudo, ut in arborum truncis & terræ cavernis etiam reperiantur) Eqvos eadem alit tolutim molliterqve badizantes, ut Plautus loqvitur. Supra Armacum eſt ſtagnum, in qvo ſi haſtam defixam menſes aliqvot relinqvas, ea pars; qvæ luto inhæſit, ferrea, qvæ aqvæ immerſa, ſaxea, extans, lignea futura eſt. In deſertis qvibusdam ſi qvis pernoctet, Dæmoniis miſerè agitatur, vulgò vocant Purgatorium Patricii. In Mononiâ fons eſſe dicitur, cujus adſperſione homines ſtatim caneſcunt. Ferunt etiam ex certis lignis in mare temerè natantibus gummi primùm effluere, hoc gummi poſteâ in cruſtam induraſcere, intûs naſci animalcula, qvæ primùm

mùm vitam, poſteà roſtra, pennas, alas concipiant, deniqve vel in aëre volitent, vel aqvis innatent. In Scotia easdem qvoqve naſci ajunt, & vocari Barnickels. Hæc è Giraldo Bertius. Volucres in arboribus naſci, ſunt qvi affirmant, at Vero, qvod opinor, refragante. Fides ſit penes Autores.

§ 6. Ex Inſulis in Terram continentem reverſi, Patriam antiqvam ingredimur, Majorum noſtrorum ſedes contemplaturi. Germania priſcis temporibus cultu adſpectuqve triſtis, ſylvis horrida, paludibus fœda, ut loqvitur Tacitus, ita nunc exculta eſt, ut cum ipsâ Italiâ conferri mereatur.

§. 7. Nomen habent Germani à Gverra, qvod Celtis olim hodie Gallis bellum ſignificat, unde & noſtrum illud Gewehr natum eſſe videtur, hinc Germanus Gerreman, ſeu Wehrman dictus i. e. bellator. Sunt tamen, qvi à Romanis autumant hos populos primùm dictos eſſe Germanos, tanqvam Fratres Germanos Gallorum. Teutſche dicuntur ab ipſo Deo, qvem Theut appellârunt, [ut refert paullò antè laudatus Tacitus] & unà cum Manno, primo mortalium, religioſiſſimè coluerunt. Germaniam veterem novâ multò majo-

majorem fuiſſe affirmat Cluverius, multi negant. Longitudo ejus ſummâ à promontorio Nor. kyn in Scritofinnia ad ripam Danubii, mill. Germ 400 Latitudo maxima à Rheno juxta Baſileam ad Amadócam usqve paludem in Podolia, mill. 200.

§. 8. Genera Germanorum veterum 5. (1) Vandali ſeu Vindili (2) Ingævones (3) Iſtævones, (4) Herminones (5) Peucini ſeu Baſtarnæ.

§ 9 Vandalorum populi fuêre (1) Guthones vel Gothi in Pomerelliâ: (2) Carini circà oppidum Stolpe, (3) Lemovii circà Stetinum, (4) Rugii in Inſulam transgreſſi, qvæ hodie Rugen appellatur (5) Varini in Meckelburgenſi Ducatu (6) Angli ad Lubecam (7) Deuringi vel Thoringi in Marchiâ circa Havelberg. (8) Longobardi in media Marchia circa Berlin (9) Semones, in partibus Marchiæ, Misniæ, Luſatiæ (10) Burgundiones in partibus Caſſubiæ & Poloniæ.

§. 10. Ingævonum populi (1) Chauci, diviſi in Minores inter Amiſiam & Viſurgim & Majores inter Viſurgim & Albim usqve ad Sylvam Semanam, den Hartz/ in Ducatu Brunſvicenſi & Luneburgenſi (2) Saxones, qvi, Tacito Foſi, Holſatiam tenuêre

tenuêre (3) Cimbri in Jüdland. (4) Teutoni, qvi Danicas Insulas incoluerunt, in qvibus præcipua Codanonia, i vulgò Zeeland. nam & Teutoni, Dani & Codani dicti sunt (5) Scandii in Scandia, nunc Scanen trans fretum Danicum. (6) Gutæ, qvorum Regio etiamnum Gutland (7) Sitones in Norvegia (8) Sveones seu Svedi in Svecia. (9) Finni in Finningiâ & longius versus Septentrionem. (10) Marchio finni (11) Scrito finni (12) Lappiones (13) Dickiloppi.

DECAS XIV.

§. I.

RHenum versus habitârunt Istævones, qvorum nationes (1) Frisii (2) Bructeri inter Luppiam & Coloniam (3) Sicambri Rheni ripam tenuerunt à Coloniâ usque ad Rheni divortium; (4) Marsi inter Amisiam & Rhenum circa opp. Groll. (5) Ubii, de qvibus suprà, (6) Mattiaci, circa Marpurgum, qvod olim Mattium dictum (7) Marcomanni ac Nicri ripam, qvibuscum (8) Harudes vicini in Bojohæmum transgressi, ut & (9) Sedusii, Mœnum, Rhenum & Nicrum inter sua qvi habuére domicilia. (10) Alemanni, Gallorum collu-

ries, qvi, Marcomannis, qvorum Rex fuit Maroboduus, in Bohemiam transgressis, eorum sedes occupârunt, unde his nomen esse videtur à L. Lemano.

§. 2. Versus meridiem suas habuere sedes Hermiones, qvorum populi (1) Cherusci in Thuringiâ & Voigtlandiâ (2) Chatti in Hassiâ (3) Hermunduri, hodiè Svevi (4) Narisci à Mœni fonte ad Ingolstadium (5) Qvadi ad ripam Danubii (6) Osi, qvi Moraviæ & Silesiæ partes incoluére. (7) Lugii qvi Vartam inter & Vistulam, partem Poloniæ tenuerunt. (8) Burii inter Vartam & Viadrum (9) Marsigni inter Viadrum & Bojohæmum.

§. 3. Bastarnæ in ripa dextrâ Vistulæ, usqve ad Istri ostia, in qvibus Insula maxima, Peuce, genti nomen dedit; nam & Peucini vocantur. Huc referri possunt Æstii, qvi Livoniam Prussiamqve inhabitârunt.

§. 4. Francorum à Geographis antiqvis nulla fit mentio, Germaniæ tamen gentem nobilissimam fuisse, Rheni accolam constat. Fortassis Catti appellari primùm voluêre Franci i. e. Liberi, ut hodieqve usurpatur à Germanis, Er ist Franck und frey.

§. 5. Præteréà Rhœti Alpes incoluerunt,

runt, earumqve valles; Vindelici inter lacum Brigantinum & Ænum usqve ad Danubium. Caput eorum Damaſia, poſteà Auguſta Vindelicorum dicta, Iuvavium nunc Saltzburg. Reginum ad Reginum fl. nunc Regensburg. Batava caſtra, nunc Paſſau. Iſiniſca, nunc München. A Bojis, qvi è Bohemia pulſi huc migrarunt, videntur dicti Bavari ſeu Bojoarii. Norici ab Æno ad Cethium usqve montem, ita dicta ab opp. Noreja. Celebris inſuper Vindoniana, nunc Wien. Ovilia Welß. Ipſa Regia Noricum dicta.

§. 6. Fluvii celebriores Germaniæ Rhenus in Alpibus, qvibus Gothardi & Adulæ montis nomen eſt, duobus è fontibus ortus, à ſiniſtro latere recipit, præter alios amnes, Moſellam ad Confluentes nunc Coblentz/ à dextro Nicrum, Mœnum, Luppiam. Amiſia die Emß. Viſurgis die Weſer qvaſi aqvæ, dum ad Mindam Vierra & Vulda confluunt. Albis, die Elbe/ oriundus in valle montis Gigantei, der Rieſenberg recipiens Salam, Havelam, Multaviam &c. infra Hamburgum, vaſto oſtio in Oceanum ſe effundens. Trava die Trave/ infra Lubecam mare ſubiens Balticum. Svevus ſeu Viadrus, die Oder/ Warta, Bo-

berâ

berâ aliisqve fluminibus receptis, infra Stetinum mari miſcetur Baltico. Viſtula die Weichſel Germaniæ ortum verſus terminus. Danubius die Donau / in Abnoba monte oritur. De Iſtro Poëta:

Qvi centum populos & magnas alluit urbes,
Euxinum irrumpit bis terno flumine pontum.

Lychum den Lech / Iſaram, Ænum, den Inn/ Marum, Dravum Savum, ſexaginta amnes recipit, fluvius Europæ maximus ſeqve in Pontum Euxinum ſex oſtiis effundit.

§. 7. Sylvæ præcipuæ. Hercinia Sylva, totam olim Germaniam occupans, nunc ita vocatur der Böhmer-Wald; Bacenis ſeu Semana in Br. Ducatu der Hartz. Gabreta, der Thüringer Wald; Luna, inter Moraviam, Poloniam Hungariam. Martiana der Schwartzwald. Cæſia haud procul Veſalia, ad Luppiam.

§. 8. Montes. Sudeti montes Bojohænum cingentes. Abnoba in Ducatu Wirtenbergenſi. Taunus der Hayrich in agro Moguntino. Rhætico das Siebengebirge/ ex adverſo Bonnæ. Melibocus der Blocksberg.

§. 9. Germani antiqviſſimi Aſchena-

zem

zem Noachi pronepotem, agnoſcunt Conditorem, verè, ut ait Dionyſius, ἀρειμανέες & θυμολέοντες, qvi in Galliam, Hiſpaniam, Italiam transgreſſi Venedis ſive Slavis, gentis trans Viſtulam, anſam præbuerunt magnam patriæ partem occupandi, unde Slavonica gens hodieqve incolit Bohemiam, Moraviam & partem Luſatiæ.

§. 10. Cimbri ac Teutoni, Galliam Italiamqve ultrò petentes à Cajo Mario ſub ipſis Alpibus victi cæſiqve ſunt, hinc Cæſar, trajecto Rheno, Germaniam non ſine clade tetigit. Auguſti auſpiciis Qvintilius Varus in Weſtphaliam usqve penetravit & fortiſſimas aliqvot Legiones amiſit, etiam Vandali, Longobardi (hi, Galliâ Togatâ occupatâ, ei nomen dedére Lombardiæ) aliæqve gentes Germanæ ipſum Romanum Imperium petierunt, neqve antè qvieverunt, qvàm nomen decusqve Imperii in fines ſuos pertraxerunt.

DECAS XV.

§. 1.

POpuli veteris Germaniæ, de qvibus hactenus diximus, ſuis paruêre ducibus, qvos Reges ſæpè vocant Romani ſed circà Caro-

Caroli Magni tempora, qvi primus omnium Germanorum ad Imperatoriam evectus dignitatem, Imperium Occidentale constituit, & Saxoniam cum adjacentibus provinciis domuit. Fidei Christianæ propagator & defensor acerrimus, mortuus Aqvisgrani Anno 814. Ea regna abolita sunt & Germania in varias Provincias & Ducatus divisa est.

§. 2. Postea, Ottone III. imperante, circa annum 1006. Electores sive Septemviri (ita qvidem multi volunt, at nonnulli, nec sine ratione, dissentiunt, Vid. Cl. Thomas. Tab. 44. de Imperio Rom. Germ.) constituti sunt, tres Ecclesiastici, qvatuor Seculares, qvibus potestas facta eligendi Imperatorem Germanici sangvinis. Nuper accessit Elector octavus, Carolus Ludovicus, Palatinus, cùm Electoralem dignitatem, Patri ablatam, & Duci Bavariæ collatam, nollet dimittere. Versus de Septemviris noti sunt:

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis
Qvilibet Imperii sit Cancellarius horum.
Inde Palatinus Dapifer, Sax portitor ensis,

D *Marchio*

Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus.

§. 3. Germania hodiè dividitur in Superiorem & Inferiorem, item in decem Circulos, Auſtriacum, Bavaricum, Francicum &c. De his vide luculentum Tractatum Nob. Dn. P. Mülleri.

§. 4. In Germania ſuperiori hæ ſunt regiones (1) Helvetia, nunc libera, qvâ de ſuprà. (2) Alſatia, diviſa in ſuperiorem & inferiorem. Illius oppida Colmar, Schletſtad; Hujus Argentoratum, qvod Ello & Bruſcha perluitur, Academiâ nobile, Ponte ſuprà Rhenum longisſimo, Armamentario & Turri. Hagenoa, Tabernæ, (Zabern) Pars Alſatiæ Briſigavia opp. Friburgium & Briſacum munitisſimum, à Duce Saxoniæ Bernhardo anno 1638. diuturnâ obſidione & horrendâ fame fatigatum, captumqve. (3) Svevia Schwaben; Prima urbium Augusta Vindelicorum ſpendidiſſima. In hac urbe aliqvando numerati ſunt pannifices 12325. à qvâ Auguſtanæ Confesſioni in Comitiis anno 1530. Carolo V. à Proteſtantibus hîc exhibitæ nomen eſt. Ulma ditisſima, prætereà Lindau, Meinmingen, Nördlingen, Conſtantia, in qvâ anno 1414. Johannes Hus, qvem non

multò

multò poſt ſecutus eſt Hieronymus Pragenſis, contrà datam fidem â Pontificiis combuſtus eſt. NB. Huc pertinet Comitatus Hohenloë. (4) Wirtenbergenſis Ducatus ab arce VVirtenbergâ ſic dictus. Ducis ſedes Stutgardia. Tübinga ad Nicrum Academia nobilis. Heilbrunn. Reitlinga. huc pertinet Comitatus Zöllern. VVinſperga, ubi Gvelphus, Henrici Superbi frater, à Conrado Imp. obſeſſus, fide uxoris Judithæ ſervatus eſt. (5) Bavaria, qvæ dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Illius Urbes Monachium, Germanicarum urbium pulcherrima, Electoris ſedes. Ingolſtadium, propugnaculum totius Bavariæ munitiſſimum, Academiâ clarum. Friſinga, in qva Arx Ducalis. Hujus Ratisbona, nonnullis Auguſta Tiberii, Comitiis hîc ſæpius inſtitutis celebris, Turrita dicta ob turrium freqventiam; pons ſaxeus ſuper Danubium pulcherrimus eſt. Patavium, Paſſau. Pacificatio Paſſavienſis inter Carolum V. & Proteſtantes Evangelicos inita anno 1552. Landshut turrem habet editisſimam. (6) Franconia ſeu Francia Orientalis ſub Duce ſeu Epiſcopo Herbipolitano. Herbipolis ad Mœnum. Würzburg. Francofurtum, Imperato-

rum electione, ut & nundinis celebratur. Bamberga, Episcopatu insignis. Schweinfurt/ pertinet huc Marchionatus Anspach/ cujus pars Voigtlandia ejusqve oppida: Curia, vulgò Hoff. Culmbach, Bareut. (7) Palatinatus Rheni, sive Inferior; olim Pars Franconiæ, Metropolis ejus Heidelberga ad Nicrum Academia clara, cujus Bibliotheca nobilissima anno 1623. victo Friderico Electore in albo Monte propè Pragam, Romam translata est. Vicina huic Ottonis sylva, Manhemium munitissimum, Franckenthalium probè munitum, Bacharacum, vino nobile. Pertinet huc Marchionatus Badensis opp. Baden & Durlacum, Sedes Marchionis. (8) Nortravia sive Palatinatus superior, Urbs Norimberga, totius Germaniæ superbissima, ad Pegnitz fl. in umbilico Europæ sita. Ejus territorii pars Altorfium, Amberga, Neoburgum, Sultzbach / Palatinorum Principum Sedes. Egra ad fluvium ejus nominis. Vallis Joachimica, metalli fodinis clara, unde nummi argentei hîc primùm cusi vulgò dicuntur Joachmici & Vallenses, Thaler. Hic spectat Landgraviatus Leuchtenbergicus. Comitatus Eltenbogen/ in qvo Thermæ Carolinæ celeberri-

perrimæ, pars eſt Bohemiæ. (9) Bojohæmum, à Bojis ita dictum. (Bojos pepulére Marcomanni, & hos Slavonica gens, qvæ iam tùm tenet Bohemiam.) Olim Ducatus, nunc Regnum, Regiâ ſtirpe extinctâ ad Auſtriacam domum devolutum. Primus Rex creatus eſt Uratislaus I. anno 1086. Regni caput & compendium Praga. Huc ntiſſimus pons ſuper Muldam Flumen veterem urbem cum minori conjugens, eſt nim triplex: Vetus, Nova, Parva, die Alte Stadt/Neuſtadt/kleine Seite/ Pilſen, Budweis, Thabor, Huſſitarum, qvorum Dux Ziſca erat, olim propugnaculum, Deutſchen Brod. (10) Moravia, à Moro el Maro flumine ſic dicta Opp. Brin, Olmiz, Iglau ad fluvium cognominem ſita. (11) Auſtria duplex. Inferior cis Danubium, bi opp. Krembs. Superior, cujus eſt Vienna, Imperatoria ſedes. Anno 1529. à Solymanno, Sultano Turcico, fruſtrà obſeſſa. Linzium. Neoſtadium. Aniſum ad fl. Anisum, die Ens (12) Stiria itidem in ſuperiorem & inferiorem diviſa; primaria civitas illâ Muri pons, Pruck an der Mure. In ... Græcia, ſedes Archiducum. Rackelsberg propugnaculum adverſus Turcarum ... uptiones. Caniſia à Turcis anno 1600.

capta, & nuper à Christianis frustrà oppugnata. Incolæ Stiriæ strumosi. (13) Carinthia. Metropolis S. Viti, prætereà Villach & Klagenfurth. (14) Carniola. Capita ejus Lubiacum Laubach & Crainburg, locus munitissimus. Pertinet huc Comitatus Cilly. (15) Croatia opp. Carolostadium. (16) Vinidorum Marchia. Utriusqve incolæ pleriq; Slavi (17) Tirolis Comitatus nomen habet ab arce Terioli; Urbes: Ænipons, Jnsprug/ Archiducum Austriæ sedes. Tridentum Concilio notum, Episcopatu celebre, vulgò Trento. Brixia, Episcopatu nobilis. Fluvii Ænus & Athesis Inn & Etsch.

§. 5. Germaniæ inferioris partes sunt (1) XVII. Provinciæ, qvas Belgium dicimus. Vid. Dec. XI. (2) Leodicensis Episcopatus, sive Tungrensis, à Tungris, qvi in utraqve Mosæ ripâ habitârunt. Princeps Urbium Leodium, Lüttich / Sacerdotum paradisus ob splendorem & delicias appellatum. Vicina huic Arduenna sylva der Lütticher Wald. Regio Dominum hodiè agnoscit Episcopum Coloniensem. Saxa hîc grandia ad ignem alendum idonea effodiuntur, navibusqve in vicinas provincias deferuntur, Bertius lithanthracas nuncupat. Pertinet huc Bullionensis Ducatus,

tus, unde oriundus fuit Gothofredus ille cujus virtute anno 1090. â Christianis recuperata sunt Hierosolyma. Hojum in valle amœnissimâ situm. Dinantium rupi impositum. (3) Lotharingia, à Lothario primo Rege ita dicta, Regi Galliæ nunc subest: Opp. Divodurum Mediomatricum, nunc Metz/Toul, Nansium. (4) Ducatus Juliacensis, opp. Juliacum, item Aqvisgranum Caroli M. aulâ ac sepulchro insigne, (5) Coloniensis Diœcesis; urbs Germanicarum maxima, imò Germaniæ Roma, ut Bertius loqvitur, Colonia Agrippinensis, ab Agrippinâ, Claudii uxore, cujus auspiciis huc deducta Colonia est, nomen trahens. Bonna munitum oppidum, Archi-Episcopi sedes. (6) Austrasia, cujus partes Archi-episcopatus Trevirensis, cujus caput Augusta Trevirorum, it. Confluentes, Coblentz/ cui oppositum castrum munitissimum Ehrenbreitstein & Moguntinensis. Urbs Moguntia amœnissima, unde natum proverbium wenn Franckfurth mein wäre/ wolte ich es zu Mentz verzehren; Wormatia, celebris Comitiis hîc sæpiùs celebratis. Spira, ubi juridicus totius Imperii Conventus. Sedes Episcopi Spirensis Udenhaim, vulgò Philipsburg. Asciburgium, Aschaffenburg/

arcem habet ſplendidam. Bingen, cui vicina turris in Rheno : Der Meuſethurm/ in qvam confugiſſe perhibent Hattonem, Antiſtitem Moguntinum impium, qvem ob illuſos murium nomine egenos, mures, ultore DEO, devorârint. Franckenthal. Moguntino etiam paret Eisfeldia, hypothecæ titulo, cujus caput Duderſtadium. (7) Ducatus Cliviæ. Opp. Clivia cum vicino munimento Schenckenſchantz/ Veſalia, Emeriacum. (8) Montenſis Ducatus, Ducis ſedes Dyſſeldorp, à Dyſſelâ amni ſic appellata (9) Weſtphalia ſylvis horrida, paludibus fœda, glandium fertilis, qvibus porci ſaginantur, ob qvod & Scrofi-paſci à non-nemine dicti incolæ. Pernæ Weſtphalicæ delicatiores cenſentur, de eâ noti verſiculi :

Hoſpitium vile, groff Brodt/ dünne Bier/ lang Milen/
Sunt in Weſtphalia, ſi non vis credere lop da.

Epiſcopatus hîc qvinqve (1) Monaſterienſis, (2) Paderbornenſis, (3) Osnabrugienſis. (4) Mindenſis qvem hodiè titulo Ducatus tenet Elector Brandenburgicus, (5) Verdenſis. Monaſterium caput eſt, in qvo lymphaticum Anabaptiſtarum Regnum ſuperiori ſeculo ortum miſerè Weſtphaliam

liam afflixit, dum Johannes Leidensis è Sartore Rex creatus, captus cum complicibus qvibusdam, igneis forcipibus laceratus & suspensus est. Vid. Appendicem Histor. Sleidani. Comitatus præcipui Oldenburg/ Hoya. Delmenhorst, Waldeck, ubi VVildungen, acidulis nobile. Diepholz cum oppido ejusdem nominis. Comitatus Schauenburgicus opp. Schauenburg/ Stadhagen/Rinteln. Urbes prætereà Susatum Herford, Lemgoa, Oltenburgum ad Hontam fl. Bilefeld, Lippia die Lipstadt/ ad Lupiam fl. Pyrmond, in cujus vicinia, sunt Acidulæ celebres. Corbeja monasterium, oppido Höxter vicinum, seminarium olim Episcoporum Saxoniæ. (10) Frisia Orientalis seu Comitatus Emdanus opp. Emda & Auricum, Comitum sedes (11) Bremensis Archi-Episcopatus. Brema ad Visurgim, Emporium nobile, Gymnasio clarum, Urbs superba. Stada satis munita, Boxtehuda, Verdem & Bremerfœrda, Archiepiscoporum olim Bremensium sedes. (12) Ducatus Lüneburgensis; caput Lüneburgum, Monte, Ponte, Fonte, nobile ad Elmenaum fl. mons calcarius der Kalckberg munitissimus. Huic vicinum Bardevicum, Urbs magna ab Henrico Leo-

ne expugnata destructaqve Anno 1189. Cella Ducum sedes ad Confluentes Alleræ & Fuhsæ, spectat huc Comitatus Dannebergensis(13)Ducatus Brunsvicensis,Brunsvicum à Brunone Saxonum Duce Conditore nomen trahens, graves Ducum obsidiones antehâc sustinuit, nuper autem majore vi victa insvetas jugo cervices submisit Anno RVDoLpho BrVnsVICVM patet, paret. VVolferbytum Arce Ducali & instructissimâ per Europam Bibliothecâ nobile. Helmestadium, Academiâ illustre. Hannovera hodiè caput Ducatus Calenbergensis,Broihanâ,potu hîc invento nota. In Principatu Grubenhagensi Eimbecca, Osteroda, Goslaria, ad Gosam libera Civitas, qvæ aliqvot Impp. sedes extitit. Refertur huc Episcopatus Hildesiensis, subjectus Episcopo Coloniensi; Princeps urbs Hildesia, in cujus templo Cathedrali reservatur Irmenseul/idolum priscorum Saxonum, præterea Hamela, Göttinga. Refertur huc Halberstadiensis Episcopatus, qvi titulo Principatus Electori Brandenburgico traditus est: Comitatus Blankenburgensis. Oppidum Blanckenburg, cui vicina rudera Arcis antiqvæ, nec ignobilis Reinstein. (14) Archiepiscopatus Magdebur-

deburgensis. Magdeburgum ad Albim tristi clade à Tillio anno 1631. affecta ac pessundata (15) Hassia in Superiorem & Inferiorem dividitur. In illa Darmstadium in confinio sylvæ Ottonis. Francoberga, patria Eobani Poëtæ. Svalbachia, acidulis, VVisbaden, thermis celebria oppida. Marpurgum ad Lanum, Arce & Academiâ clarum, totum propemodum monti adhærens. Giessa, propugnaculum munitissimum, itidem Academiâ illustris. In hac Castellum Cattorum, nunc Cassel ad Fuldam fl. Ziegenhain/ Castrum munitissimum, Eschwege/ Smalcaldia. Pertinet huc Abbatia Hirschfeldensis. Item Comitatus Nassoviensis in Wetteraviâ, unde oriundus Mauritius Belgicæ Fœderatæ Tutor felicissimus; Witgensteinensis, Waldeccensis, Solmensis, Hanoviensis. Abbatia Fuldensis, totius Europæ præstantissima in Buchoviâ. (16) Thuringia: Caput urbium Erfurdia ad Geram fl. cum arce Cyriaci ab Electore Moguntino sub jugum missa anno 1664 Campanæ ingentis, qvæ hic visitur, nomen Susanna. Vinaria arcis novâ structurâ nobilis: Gotha cum arce Grimmenstein diruta anno 1567. nunc restituta. In Curiâ Gothanâ hi versus leguntur:

Wo der Burgermeister schencket
Wein/
Die Fleischer mit in Rathe seyn/
Der Becker wieget aus das Brod/
Da leidet die Gemeine Noth.

Jena ad Salam fl. vinetis cincta, Academiâ celeberrima; de Studiosorum in hac aliisqve Academiis moribus, vulgò circumferuntur hi versûs:

Wer von Tübingen kombt ohne
Weib/
Von Wittenberg mit gesunden
Leib/
Von Helmstädt ohne Wunden/
Von Jena ohne Schrunden/
Von Marpurg ungefallen/
Hat nicht studirt auff allen.

Isenacum, Salfeldia &c. item Mulhusa, Nordhusa, Civitates Liberæ. In Comitatu Schwarzburgico Arnstadium, satis amœna Civitas. Frankenhusa salinis & clade rusticorum anno 1525. in monte Schlachtberg / Thoma Münstero Duce capto, hîc cæsorum celebris. In Comitatu Stolbergensi Stolberga, Comitum sedes; Hohnsteinensi Ilfelda, Neandrinâ famâ olim illustrata; Ad Thuringiam refertur

fertur Coburgienſis Ducatus. Coburgium ſedes Ducalis, Gymnaſio illuſtre. (17) Saxonia & qvidem ſuperior. In eâ Witteberga, B. Lutheri cathedrâ clara & ſepulchro. Halla Salinis dives. Magdeburgum. Pertinet hæc Principatus Anhaltinus, cui ſubeſt Comitatus Barbienſis opp. Barby. Baronatus Bernburg. Deſſau, Principum ſedes. Serveſta, cui à Cereviſiâ fama eſt. Vicinum Qvedlinburgum, ubi nobile ſacrarum Virginum Collegium, & ſepulchrum Henrici Aucupis viſitur. Comitatus Mansfeldicus, in qvo Mansfeldia, caſtrum munitiſſimum, nunc dirutum, & Islebia, M. Lutheri patria (18) Misnia ab urbe Miſna, olim celebri, at nunc celeberrima Lipſia, ædium ſplendore, Arce Pleiſſenburg, Academiâ, Nundinis clara. Naumburgum, Cereviſia & Nundinis clarum, cui vicina [illegible]rta, Cœnobium, ubi Schola illuſt[illegible] Martisburgium ad Salam Epiſco[illegible] nobile & ſepulchro Rudolphi Svevi AntiCæſaris ab Henrico IV. ſeculo X hîc victo. Dresda, Electoris ſedes, deqvâ dicere licet, qvod Hiſpani de Seviliâ: *Qvi non vidit Sevilia, non vidit mirabilia.* Videndus hîc pons, ſtabulum, Armamentarium,

rium, die Kunst-Kammer. Freiberga, Electorum monumentis clara. Torga. Altenburgum Conradi von Kauffungen scelere anno 1455. patrato notum, qvippe qvi Friderici Electoris Filios, Ernestum & Albertum, ex Arce noctu abduxit. VVeissenfels, Zwicka, Pirna, Königstein/ad Albim Castrum inexpugnabile. De Voitlandia suprà dictum. In eâ sunt Barones Plauenses, qvi Reussii dicuntur, die Herren Reussen [19] Lusatia, die Laußnitz / vulgò die Sechsstädte à sex urbium numero, in qvibus clariores, Bautzen. Görlitz. Sittau. Lusatia hodiè subjecta Ducibus Saxoniæ. (20) Silesia, XVI. Principatus complexa, hodiè pars est Regni Bohemici. Uratislavia Breßlau / una de tribus [reliqvæ duæ Lipsia & Monacum] pulcherrimis Germaniæ urbibus. Glogovia major. Oppeln. Liegnitz. In hoc Tractu Tartari Anno 1241. tantam Christianorum edidére stragem, ut cum singulis cæsis unam aurem præcidissent, novem ingentes saccos auriculis impleverint. Pertinet huc Comitatus Glacensis. (21) Marchia Brandenburgensis qvintuplex. (1) Vetus, in qva Tangermunda, Stendalia, Soldqvella, Gardelegia, à cerevisiâ nobilis (2) Prigniziana, [die Prignitz] in qva Havelberga, Witstockium.

(3) Mar-

(3) Marchia media, in ea Brandenburgum, ab Havelâ divisum in Vetus & Novum, Berolinum & Colonia ad Spream, conjunctæ Civitates; Augustissima hîc arx Electoralis. Francofurtum ad Oderam, Academiâ clarum. (4) Uckerana, à lacu **die Uckersee** sic dicta opp. **Prenzlow.** (5) Marchia Nova, in eâ nobilissimum propugnaculum Cüstrinum, in loco paludoso exstructum. Landsberga ad VVartham. (22) Pomerania hodiè dividitur in Citeriorem, **Vor-Pommern** / & Ulteriorem, **Hinter-Pommern.** Illa tota Sveciæ Regno cessit. Hæc Electori Brandenburgiço subest. Urbes celebriores Stetinum, ad Oderam, VVolgast; Gripswaldia, in qvâ Priscianum occisum esse fabulantur. Stralsunda munitissima, ideoq; sæpius frustrà obsessa. Adjacentes Insulæ Rugia, Usedom, VVollina cum oppido VVollin. In ulteriori etiam Colberga, Caminum, Stolpe. (23) Meckelenburgensis Ducatus Urbes habet Lubecam ad Travam Emporium celebre, Urbem liberam. Rostochium, Academia illustre. VVismariam portu insignem; Hodiè in Gustroviensem & Sverinensem Ducatus dividitur. Refertur huc Ducatus Lauenburgensis. Opp. **Ratzenburg** & Lauenburg. (24).

Holsa-

Holſatia, Holſtein / cujus pars Ditmarſia, olim libera, nunc Dano ſubjecta. Emporium hîc Nobiliſſimum Hamburgum in Stormaria Kiela, portu, nundinis (der Uniſchlag) & Academiâ celebris. In eadem Glückſtadium ad Albim munitiſſimum. In Ditmarſia Lunden, Meldorp. In reliqva Holſatia Renspurg ad Eidoram fl. Germaniæ in his terris limitem, Itzehoa, Huic vicinus eſt Ducatus Slesvicenſis, Regni Danici antehac feudum. Opp. Sleswicum, cui vicinum caſtrum Gottorp, Ducis ſedes; Flensburg Tonninga ad Eidoram probè munita.

§. 6. Academiæ præcipuæ: Viennenſis fundata anno 1237. Heidelbergenſis 1346. Pragenſis 1360. Colonienſis 1388. Erphordienſis 1392. Herbipolenſis 1404. Lipſienſis 1409. Roſtochienſis 1415. Lovanienſis 1426. Tubingenſis anno 1477. Wittebergenſis 1502. Francofurtenſis 1506. Marpurgenſis 1526. Argentinenſis 1538. Regio-montana 1544. Jenenſis 1548. Lugdunenſis in Batavia 1572. Julia 1576. Altorfiana 1579. &c.

§. 7. Dania, cui à Danis vel Codanis nomen eſt, partes habet (1) Cimbricam Cherſoneſum, nunc Jutiam dictam, ea duplex eſt, Septentrionalis Nort-Jüdland/ & Me-

& Meridionalis, Süder-Jütland / utramqve disterminat Ripa fl. opp. Flensburg, Coldinga ad Fretum Mittelfarth Friederichs-Oeda Anno 1658. à Svecis occupata. Viburgum, Slesvicum cum arce Gottorp, de qvibus suprà. Insula adjacet Fionia, Fühnen cujus caput Ottonia, Ottensee/ Neoburgum, ubi Sveci à Danis anno 1659. fusi. Mittelfortum ad fretum, cui inde nomen est, it. Alsa, in qvâ Sunderburgum. (2) Seelandiam cum adjacentibus Insulis. Illius caput est Hafnia vulgò Kopenhagen Regum sedes, egregiè munita, à Svecis nuper frustrà oppugnata, Cum Insula Amak, Elsenöre, ubi vectigal à navibus Fretum transeuntibus penditur, cum arce stupendæ structuræ Kronenburg / Rotschild, ubi Regum sepulchra. Friederichsburg, in cujus Templo visitur Cathedra, Baptisterium, Organon omnia argento inaurata. Sora Academia nova Nobilium nobilis. Præterea Nieköping / Corsör, ad fretum Balticum. Insulæ circa hanc Langelandia, Lalandia, Falstria, ubi Nieköping. Mœna candidis è creta montibus eminens. Huena, Arce Uranoburgo à Tychone Brahe exstructa clarissima, præterea Gotlandia, in qvâ Urbs Visbuy & Bornholm, Insula.

§. 8. Ter-

§. 8. Tertia Daniæ pars trans fretum dividitur in tres partes qvæ ſunt : Hallandia, Scania, Bleckingia. Opp. nobiliora Elzenborg, ad fretum Danicum, vulgò der Sund. Coronia, vulgò Landstron. Lundia, Archiepiſcopatu nobilis. Malmogia, Danis Malmö, ad qvam halecum piſcatio freqvens. Chriſtianopolis, à Rege Chriſtiano IV. condita. Harum provinciarum bona pars Rotſchildenſi pace proximè initâ Veciæ Regno adſcripta.

§. 9. Norvegia, cui à ſitu nomen eſt, regio vaſta qvidem, at maximè aſpera, Sevone monte à Svecia diviſa, potens olim Danis imperavit, qvibus hodiè paret. Incolæ priſci Sitones. Urbes in eâ Nidroſia, vulgò Drunthem / Templo clara ſuperbiſſimo, cujus adhuc rudera extant. Bergen, celebre Emporium, unde Salpæ, Stockfiſch / magnâ copia ad nos perferuntur. Anslo, nunc Chriſtiana, Bahuſia arx in rupe munitiſſimâ Svecis nuper tradita. Norvegia beſtiolis infeſtatur, accolæ vocant Lemmers / Soricis magnitudine, pelle variâ, hæ locuſtarum more omnia virentia depaſcunt. Vid. P. Bertii Tab. Geogr.

§. 20. Finnomarchia ampla Regio, cujus pars meridionalis, Daniæ, Septentrionalis

nalis Sveciæ Regno ſubjecta eſt. Ad Norvegiam eſſe dicitur Euripus maximus, ſex horis omnia vicina abſorbens totidemqve horis eadem revomens, in eo Petra, qvam incolæ vocant Mouske.

DECAS XVI.

§. 1.

ISlandia, Inſula maxima, priſcis Thule Virg. l. 1. Georg.

Tibi ſerviat ultima Thule;

pro remotiſſimâ qvalibet regione eam veteres uſurpârunt. Juvenalis:

De conducendo loqvitur jam Rhetore Thule.

Yßland & Schneeland ab acerrimo frigore & nive perpetuâ appellatur, in eâ Hecla mons ignivomus ingentia ſæpè ſaxa horrendo fragore ejiciens; nonnulli dicunt Carcerem ſordidarum animarum. Hîc boves & vaccæ cornibus carent, falcones & corvi candidi ſunt, piſcibus victitant incolæ, Inopum potus olim aqva, ditiorum lâc, Dano paret.

§. 2. Frislandia, itidem à frigore nomen trahens, piſcium capturâ utilis Angliæ Regi.

§. 3. Gronia, vulgò Grönland/ Americæ,

ricæ, qvàm Europæ propinqvior; Littora ejus tantùm ſunt cognita, in qvæ imperium ſibi Danus vendicat. Montes hîc Spizbergen, balænarum captura nobiles & piſce Nahuay dentem habens aliqvot cubitorum, qvi pro unicornu, ſæpè venditur. Feri & barbari incolarum mores legi poſſunt apud Olearium in Itin. l. 3. cap. 4.

§. 4. Svecia, vetuſtiſſimum Regnum, amplitudine ſuâ Galliam & Italiam ſuperat, incolæ maritimis locis piſcibus iisq; ſalſis, fumo induratis, vel vento exſiccatis, vivunt; neceſſitatis tempore nonnulli ex corticibus abietum & picearum panem pinſunt, ſtomachis ipſorum ſatis accommodatum.

§. 5. Metropolis Regni Stockholmia, ſedes Regia, naturâ & arte ſatis munita. Arx ferè inexpugnabilis eſt, continens 400. tormenta majora. Upſalia Academiâ & Regum ſepulchris clara. Colmar in confiniis Daniæ, cum arce validiſſima.

§. 6. Pars Regni Gutia vel Gothia vulgò Gutt-land / diviſa in Weſtro & Oſtto Gothiam, cujus incolæ olim magnam Imperii partem vaſtârunt, & ipſam Romam diripuerunt. Sevo mons medius inter Norvegiam & Sveciam.

§. 7. Pertinet, huc Botnia Orientalis & Oc-

& Occidentalis qvæ Sinui Botnico nomen fecit, in eâ Tornia emporium.

§. 8. Lappia Germanis Lappenland. Lappi Orientales Russico vocabulo Dickiloppi dicti, Moscoviæ duci subjecti sunt, Occidentales Sveco. In montibus Lappiæ lapides pretiosi inveniri dicuntur.

§. 9. Scritofinnia Svedici Regni portio est.

§. 10. Finningia, pars Regni Svedici, arvis fertilis, pascuis læta. Urbes Abo Episcopalis sedes, Viburgum nobile Emporium. Sinus hîc nobiliores Botnicus & Finnicus. Atqve hic est orbis Arctous, qvem veteres dixére officinam gentium & vaginam populorum.

DECAS XVII.

§. I.

BOream septemqve triones linqvimus, & Alpes transgressi Italiam petimus. Ea totius Europæ beatissima regio à Geographis dici meretur. Virgilius:

Terra antiqva potens armis atqve ubere glebæ,
Et neqve Medorum sylvæ, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atqve auro turbidus Hermus

Lau-

Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neqve Indi.

Plinio omnium terrarum alumna & Parens, digna orbis Imperio ſedes, Alpibus, Varo & Arſia fluviis, mari ſupero inferoqve clauſa. Longitudo ejus maxima 235. milliarium. Latitudo maxima 140. milliarium Germanicorum, minima 34. veteres illam qverno folio aſſimularunt, Alii Cruri humano.

§. 2. Italia nomen trahit vel à bobus, qvi priſcis græcis ἰταλοὶ dicti, vel potius ab Italo, Siculorum Rege. Heſperia Græcis à ſitu dicta eſt. Oenotria, Auſonia, Latium nomina partium ſunt, qvæ tamen ſynechdochicè ſæpè toti Regioni tribuuntur.

§. 3. Ingenioſi qvidem, at libidinoſi ſunt & ſuperſtitioſi incolæ, ut cuilibet genti ſuæ ſunt virtutes ſuaqve vitia. Italia, ut vulgò dicitur, Infernus eſt animæ, paradiſus corporis, purgatorium crumenæ.

§. 4. Pars Italiæ inter Alpes & mare ſuperum ad Senam usq; Gallicam dicta Gallia Citerior, Cisalpina, Togata & Circumpadana, hodiè vocatur Lombardia. Populi præcipui Ligures, qvorum urbes Genua, Vada Sabatia, nunc Savonna. Portus Herculis Monœci, Genua, in circuitu ſex milliaria

Italica

Italica continet, ædificiis ornata magnificis, è puro qvandoq; marmore exſtructis.

§. 5. Taurini, qvorum eſt Auguſta Taurinorum nunc Turino, Sabaudiæ Ducum ſedes, qvi & Academiâ eam decorârunt, in qvâ Eraſmus Theologiæ Doctor creatus; Cottii, qvorum Seguſium, nunc *Suſa*. Salaſſii, opp. Auguſta prætoria, nunc Aoſta. Lepontii, qvorum Oſcela, Thum im Eſchenthal. Euganei circa Tridentum. Rhœti in Tirolenſi Comitatu.

§. 6. Veneti: in Inſulis Venetiæ ſparſæ qvàm plurimis, domûs palis ſuperſtructæ, mundi theatrum, opibus, armis, Imperio potens. De hac Urbé Jacobus Sannazarius;

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas qvantumvis, Iupiter, arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait;
Si pelago Tibrim præfers, urbem adſpice utramqve,
Illam homines dicas, hanc poſuiſſe Deos.

Pro ſingulis verſibus ſingulos centenos aureos dono recepit Poëta. Pontes urbs numerat 450. Incolarum numerus 300000, in eâ

in câ armamentarium inſtructiſſimum, vulgò Arſenal dictum. Dux qvotannis navi Bucentauro vectus die Aſcenſionis Dominicæ aureum annulum in mare abjicit, eoq; mare ſibi deſpondet. Templum S. Marci pulcherrimum, theſaurum reſervat penè inæſtimabilem, in qvo coronæ aureæ duodecim, totidemqve thoraces aurei. Venetiarum urbs crevit ex Italicarum urbium ruinis, Attila Tyranno Aqvilejam aliasqve urbes diripiente, vertente, circa annum Chriſti 421. Muranum, vicina Inſula 24. officinis inſtructa, inqvibus vaſa vitrea ſummo artificio elaborantur. Patavium Academiâ claret, patria Livii Hiſtorici, Adria, qvæ Sinui nomen dedit.

§. 7. Carni qvorum Aqvileja, olim opulenta, planè nunc deſerta, ab Hunnorum Rege Attilâ, qvi vulgò flagellum Dei eſt dictus, diruta. Forum Julii Tergeſte cum fonte Timavo, cujus multa apud veteres fit mentio. Hiſtri in Hiſtria regione inter amnes, Formionem & Arſiam. Opp. Parentium & Cabo d'Iſtriâ, Neſactium, Italiæ terminus.

§. 8. Libici, qvorum Vercellæ, Euſebii Patria, Lævi, qvorum Ticinum, nunc Pavia, pontem habens totius Italiæ pulcherrimum

rimum; ad hanc urbem Franciſcus I. à Carolo V. ſuperatus captusqve eſt. Inſubres, Gallicorum gentium validiſſimi, qvorum Mediolanum, inter Ticinum Auamqve fl. Arcem habet munitiſſimam. Templum Cathedrale in orbe Chriſtiano Pauca habet paria. Suburbia magnas æqvant civitates, Artificum alit diverſa genere incredibili freqventiâ. In hac Urbe docuit Ambroſius. Ex ejus territorio oriundi municipularum & Echinorum fabri. Laus Pompeja, nunc Lodi. Orobii, qvorum, Comum ad ripam Larii lacus, loco amœniſſimo, ubi vixit Plinius minor. Bergomum in jugo montis poſitum, Caput olim gentis. Cenomani, qvorum Brixia ſ. Breſcia, ampliſſimæ ditionis, ſponſa Veneti Senatus dicta, urbs pervetuſta. Mantua in cujus pago vicino, qvi Andes dicitur, natus Virgilius, qvi proinde dictus Vates Andinus, item Minciades, à Mincio fl. Cremona. Virg.

Mantua væ miſeræ nimium vicina
Cremonæ;

Turri altiſſimâ inſignis, hinc Proverbium: Unus Petrus Romæ, Unus portus Anconæ, Una turris Cremonæ. Platina, qvi ſcripſit vitas Pontificum, Cremonenſis fuit.

§. 9. Cis Padum Ananes, qvorum

 Placen-

Placentia, urbs munitissima, & elegantissima. Boji, qvorum Bononia, ad amnem Rhenum, antiqvissimam habet Academiam, unde studiorum Mater appellatur. Parma, nobilis Caseo, qvandoq; tantæ molis, ut lapidem molarem qvantitate adæqvet. Mutina, nunc Modena, civilibus bellis inter Augustum & Antonium gestis notissima. Regium Lepidi. Senones, ad Senam Gallicam in Umbriâ. Atqve hæc fuit Gallia Cisalpina, hodiè qvæ est Lombardia.

§. 10. Umbri, qvorum Termini Bedesis, superum mare, Æsis, Nar, Tiberis: Urbium caput Ravenna, Exarchorum sedes, Ariminum maritima. Pisaurum, Urbinum, Ducum Urbinatium sedes, qvod Hannibal frustrà oppugnavit.

DECAS XIIX.

§. 1.

ETruria, cujus incolæ Etrusci & Tyrrheni dicti, Apennini jugis & Tiberi ab Umbriâ separatur. Oppida olim celebria Clusium, Porsennæ Regia, qvi Romam, Tarqviniis exclusis, oppugnavit. Vicinus huic Labyrinthus Porsennæ, item Clesiana palus. Perusia, ab Augusto eversa & restituta, ei vicinus Lacus Thrasymenus, victo-

riâ Hannibalis & clade Flaminii Conſulis nobilitatus, nunc Lago de Perugiâ. Volaterræ, qvibus vicinæ aqvæ Volaterranæ, qvaſi igne ſubjectò perpetuò æſtuantes, fervor earum tantus eſt, ut injecta animalia ſtatim decoqvantur, & oſſa carnibus nudata emergant. Cære, cujus vix ulla extant veſtigia, proverbium notetur: *Cerâ, Cærite dignus*, dignus qvi in Cærites tabulas referatur. i. e. dignus, qvi è Centuriæ ſuæ albo deletus fiat ærarius, ad hoc tantùm civis, ut pro capite ſuo tributi nomine æra pendat. Veji, qvi decennalem Romanorum obſidionem ſuſtinuerunt. Faliſci à Camillô obſeſſi, qvi Principum liberos à Magiſtro proditore ſibi traditos, incolumes dimiſit. Sutrium. Reliqva infrà leges.

§. 2. Sabini, inter Narem & Anienem, qvorum Reate. Cures, unde Romani ſecundùm nonnullos dicti Qvirites. Cutilia, ad qvam lacus Cutilienſis, qvi Inſulam habet fluitantem. Amiternum, Salluſtii patria.

§. 3. Latini his proximi, qvorum terra Latium dicta, Vetus, à Tiberi & Aniene ad Circæum promontorium: Novum ad Lirim usqve ſe extendit. Caput Latii Roma, Valentia primùm dicta, diu ante bellum Trojanum condita, ab Æneæ poſteris

aucta eſt, qva de ſatius eſt tacere, quàm pauca dicere: Urbium enim Regina, orbisqve Domina extitit, ſedes olim Imperatorum, nunc Pontificum. Murorum ambitus dicirur eſſe 5 milliarium Germ. Inhabitatores Auguſti tempore habuit 2 0000000 Montes olim celebres ſeptem, unde Roma ſepticollis dicta; in Vaticano monte tres bibliothecæ, una ſelectorum librorum clauſa, altera minùs ſecreta, tertia profeſtis diebus per duas horas omnibus patet. Arx Pontificis. Moles Hadriani, nunc Caſtellum S. Angeli die Engelburg minutiſſimum, Templum Divi Petri, totius orbis auguſtiſſimum. Hortus Pontificis Belvedere. Statua Paſqvinus, cui famoſæ chartæ appenduntur. Templum olim celebre fuit Capitolium, cujus & tegulæ fuerunt inauratæ. Pantheon, nunc Maria rotunda, Exemplar conſummatæ architecturæ; Statuas, Obeliſcos, Arcùs triumphales, Amphitheatra, Thermas taceo. Cives ditiſſimi. C. Cæcilius ſervos habuit 4116. Seneca poſſedit 7500000. Philipp. Romæ novæ ſplendor non reſpondet veteris ſplendori, unde vulgò dicitur:

Qui miſeranda videt veteris veſtigia Romæ.

Ille

Ille poteſt meritò dicere: Roma fuit.

Aëris Romani ea eſt impuritas, ut cives Medicorum ſvaſu, circà diluculum & crepuſculum publico abſtineant. Oſtia ad fauces Tiberis fl. Tibur, ab Horatio tantoperè laudatum. Tuſculum cui vicinum Tuſculanum Ciceronis. Alba longa à Tullo Hoſtilio deſtructa. Præneſte. Laurentum. Lavinium. Ardea. Hæc ſedes Rutulorum, qvorum tam multa apud Maronem fit mentio.

§. 4. Æqvi, qvorum Algidum, in Algido monte. Hernici, qvorum Ferentinum. Volſci, qvorum Antium, Tarracina, olim Anxur. Arpinum, Ciceronis Plautiqve patria, Aqvinum, Thomæ Scholaſtici patria. Auſones, qvorum Cajeta ab Æneæ nutrice ſic dicta, clavis hodiè Regni Neapolitani, Fundi, Formiæ, unde dictum Ciceronis Formianum, & colles vitesqve Formianæ ex Horatio notæ.

§. 5. Picentes, inter Aeſin & Aternum fl qvorum Regio Picenum, opp. Ancona, portu nobilis, arce, mercaturâ. Firmum. Auximum. Dicitur & Anconitana Marchia. Veſtini, inter amnes Matrinum & Aternum, opp. Aqvila & Pinna, nunc Cività di Sant Angelo, & Cività di Penna. Marru-

cini, qvorum Teate. Peligni, qvorum Corfinium. Sulmo Ovidii patria, qvi proinde dictus Pelignus Olor. Marſi ad Fucinum lacum opp. Marrubium. Alba Fucentis, huic Romani includere ſolebant Captivos nobiliores, in vinculis aſſervandos. Frentani, qvorum Ortona. Samnites, qvorum Regio Samnium, ac vicini Hirpini opp. Beneventum, Bovianum. Inter Beneventum & Calatiam fuere Saltus Caudini, Romanorum ignominiâ celebres, qvam à Samnitibus paſſi ſunt, egregiè vindicatam à Papirio Curſore. Item Campi Tauriſini, in qvibus Romani Pyrrhum profligârunt.

§. 6. Campania, Italiæ verè Paradiſus, cultiſſima amœniſſimaqve orbis terrarum Regio eſt, nunc terra di Lavoro vel laboratoris dicitur. Liternum, exilio Scipionis inſigne, qvi ſepulchro ſuo inſcribi juſſit: *Ingrata patria, nec oſſa mea habeas.* Bajæ, calidis fontibus ſive thermis nobiles. Poëta: *Nullus in orbe locus Bajis prælucet amœnis.* Miſenum, cum Miſeno promontorio. Cumæ, Sibyllæ Cumanæ natalibus claræ & Cumano Tullii. Puteoli, Urbs in rupe præcipiti, olim altera Roma dicta. Neapolis, hodiè Proregis Hiſpaniæ ſedes & Nobilitatis, anno 1585. in eâ numeratæ animæ

500000.

5000000. Nola, cui vicinus Vesuvius mons ignivomus, Plinii interitu clarus, nunc Monte di Somma dicitur. Capua, olim prima in urbibus Campaniæ, Hannibali qvondam Cannæ. Cales, unde Calenum vinum. Salernum, è cujus schola prodiit libellus de conservandâ valetudine, vulgò vocatus Schola Salernitana. Nobiles lacus Avernus, Acherusius, Lucrinus, qvi cineribus oppletus est. Sinus Cumanus, nunc Neapolitanus.

§. 7. Picentini, qvorum Regio dicta Picenum à Surrento ad Silarum fl. circa Salernum. Apuli reliqvum littus maris Adriatici occupârunt. Apulia olim in tres partes divisa (1) Daunia à Frentone ad Aufidum, hodiè Puglie plana, (2) Peucetia, hinc ad Brundusium, in qva parte fuerunt Pœdiculi hodiè terra di Barri vocatur. (3) Messapia, à Messapiis, qvi Peninsulam hanc unà cum Salentinis tenuerunt, hodiè terra di Otranto, Messapia eadem nunc Calabria dicitur. Oppida in Apuliâ, Sipontum, Luceria, lanâ nobilis. Horat. od. 15 l. 3. Carm. *lanæ propè nobilem Luceriam tonsæ.* Cannæ vicus, Romanorum clade celebris. Barium, celebre emporium, Venusia Horatii patria.

§. 8, In Calabriâ Brundisium, portu illustre. Hydruntum, â Turcis aliqvando occupatum. Tarentum, qvod Romæ aliqvando, subsidio vocato Pyrrho, se opponere ausum est, nrbs deliciis luxuqve enervata, ut Capua & Sibaris. Rudiæ alumno Ennio nobile oppidum. Callipolis, Urbs pulchra ad sinum Tarentinum, ad qvem mare Adriaticum valdè turbidum est. Hor. od. 33. l. 1. Carminum: *Fretis acrior Adriæ curvantis Calabros sinus.*

Campaniæ proxima est Lucania ad Laum usqve & Sybarim fluvios. opp. Pæstum rosis nobile: *biferi rosaria Pæsti.* Velia, unde sinus Velinus dictus. Metapontum, ubi Pythagoras docuit, Templumqve habuit cultus pro Numine. Sybaris luxuriâ infamis, hinc proverbium: *Sybaritica mensa.* A Crotoniatis eversa, duce Milone, inusitati Heroë roboris.

§. 10. Ultimum Italiæ angulum ad fretum usqve Siculum tenuére Brutii, opp. Consentia, caput olim Brutiorum. Crotona Milone jam dicto celebris. Locri Epizephyri cum sinu Locrensi, Rhegium ita dictum, qvod hîc Sicilia vi maris & terræ motu ab Italiâ avulsa fuerit. Hæ regiones oræ maritimæ olim appellatæ sunt magna Græ-

Græcia. Notetur etiam portus hîc Palinurus & Palinurum Promontorium â Palinuro, Æneæ nauclero, qvi hîc periit, ita dictum. Virg.l. 5. Æneid. sub finem.

DECAS XIX.

§. 1.

NObiliores Italiæ fluvii Padus, hodiè Pò; Græcis Eridanus Phäetontis interitu celebratus, triginta ampliùs fluminibus auctus in Adriaticum mare septem se ostiis effundit. Ticinus lacum Verbanum transiens. Addua Larium, Mincius, lacum Benacum permeans, A dextrâ ripâ recipit inter alios Tanarum, Trebiam, Rhenum Bononiensem. Athesis fluvius post Padum Italiæ maximus. Arnus Florentiam perfluens, Tiberis, ad qvem urbs Roma, Narem. Alliam, Anienem, in mare Inferum deferens. Liris nunc Garigliano, medius inter Latium & Campaniã Vulturn9 in Campania, Sybaris. Aufidus superũ mare petẽs H.od. 9. v. 4

Longe sonantem natus ad Aufidum.

Aternus, uunc Pescára Metaurus Hasdrubalis clade insignis, Hor. od. 4. l. 4.

Testis Metaurum flumen & Asdrubal. Devictus. ----

Galesus Tarentinum petens sinum.

§. 2. Montium præcipui: Alpes altissimæ, à candore nivium sic dictæ. Silius *clausas nivibus rupes suppôstaqve cœlo saxa* vocat. Initium earum à Vadis Sabatiis in Liguria Finis fons Colapis fl. Alpium varia notanda nomina: dicuntur enim Maritimæ, Cottiæ, Grajæ, Penninæ. Apenninus, qvi Alpibus annexus ad Leucopetram promontorium tendens mediam secat Italiam. Soracte, Massicus ad Lirim. Gaurus inter Bajas & Puteolos. Nolæ vicinus Vesuvius ignivomus nunc monte di Somma, egregiè ab Opitio descriptus. Garganus, nunc monte di S. Angelo. Vultur in Apulia. Aulon Tarento vicinus, qvorum montium freqvens ab Horatio fit mentio.

§. 3. Italia hodiè in varios titulos ac dominia discerpta est (1) Histria, ubi Pola, Caput Histriæ, Citta nova, in eâ mons major herbis medicatis celebris, vicinus sinus Flanaticus. (2) Forum Julium opp. Vedinum. Civida di Friuli, Goricia, Aqvileja, Tergeste, de qvibus suprà. Palma, egregium propugnaculum, nuper à Venetis exstructa. (3) Marchia Tarvisiana, ab oppido Tarvisio, nunc Treviso. Venetiæ, Padua, Verona. Vicentia. (4) Grisones, die Graupünter/ olim Rhæti, qvorum Curia, Clavenna.

venna. Hîc vallis Tellina, & Thermæ piperinæ, das Pfefferbad. (5) Helvetiorum Stipendiarii. opp. Lucanum. (6) Pedemontium, cujus Dominus Dux Sabaudię, opp. Turino, Vercellæ, Aosta, olim Augusta Prætoria.

§. 4. Lombardia, divisa in Cis & Transpadanam. In Transpadana sunt (1) Ducatus Mediolanensis, cujus urbs Mediolanum, Cremona, Comum, Pavia. (2) Ducatus Mantuanns. Urbs Mantua. (3) Venetorum Ditio, Urbes Brixia, Bergomum, Crema. In Cispadana Ducatus tres. (1) Parmensis opp. Parma, Placentia. (2) Mutinensis opp. Mutina seu Modena (3) Ferrariensis opp. Ferraria.

§. 5. Ager Genuensis vel Riviera di Genova, Urbs Genua ædificiorum splendore Italicorum superbissima. Savona &c. Thuscia, Magni Ducis sedes Florentia, post Antwerpiam Europæ pulcerrima. Aretium, Gvidonis Monachi patria, qvi invenit voces Musicales UT, RE, MI, FA, SOL, LA, & qvidem ex vulgari apud Italos Cantico: *UT qveant laxis REsonare fibris MIra Sanctorum FAmuli tuorum SOLve pollutos LAbii reatu, S. Iohannes.* Volaterræ, Pratum, Poggiũ loca amœnissima. Pisæ, Senæ, qvæ civitates qvondam poten-

tes & liberæ, nunc magno Duci Hetruriæ parent. Senis lingva Italica elegantissima est. Livornus portu & Triremium Duci statione nobilis. Luca civitas opulenta & libera, juxta hanc marmora cæduntur nobilissima. Plombinum, Telamon, Portus Herculis Hispano subsunt, ejusqve præsidio custodiuntur.

§. 6. Hetruriæ pars Patrimonium D. Petri, à Mathilde Ecclesiæ Romanæ legatum. opp. Perusia, Bartholo & Baldo clara, Orvietum, Viterbium, Cività vecchia, olim Centumcellæ, triremium Pontificiarum, statio. Romaniola, itidem Papæ subjecta opp. Bononia, Mater Studiorum dicta, Ravenna, Ferraria.

§. 7. Regio Anconitana, opp. Ancona, Judæorum receptaculum, Firmium. Cita Nouva, Lauretum, in qvo cubiculum B. Mariæ, Virginis ab Angelo huc, ut perhibent, deportatum, visitur, in qvo illi facta Annunciatio. Pisaurum, cujus incolæ rarò 50 annum vivendo attingunt. Pertinet huc Ducatus urbinas.

§. 8. Ager Romanus, in qvo Roma, Tivoli olim Tibur, Tarracina, olim Anxur Ducatus Spoletanus, qvem hodiè tenet Pontifex Romanus. Opp. Spoletum, Narnia. De harum

harum Regionum fertilitate & incolarum moribus vide Cl. Bunonem in his, qvæ adjecit Cap. 37. l. 3. Geogr. Cl.

§. 9. Reliqva pars Italiæ vocatur Regnum Neapolitanum, ab Urbe principe Neapoli. Hoc Regnum, ſæpè mutatis Dominis, tandem ad Hiſpaniæ Regem devolutum eſt. Partes ejus Ager Laborinus opp. Neapolis, Capua, Amalfi, ubi pixidis nauticæ uſus repertus circà annum 1300. Nola, Surrentum. (2) Calabria ſuperior & inferior, in ea Conſentia, vulgò Conſenza, S. Eufemia, qvæ ſinui nomen dedit, ad cujus littus optimorum Corallorum proventus eſt, Roſſano. (3) Ager Hydruntinus opp. Tarentum. exigua Civitas Hydruntum, Galliopolis, Aletium, Brundiſium. Prom. Salentinum, nunc C. Sant. Maria. (4) Ager Baritanus. Opp. Barium, Monopolis. Huic agro contermina Baſilicata, olim Lucania, in qvâ Buxentum, nunc Poli-caſtro. (5) Apulia plana vulgò piana, olim Daunia. Opp. Manfredonia, arce & portu nobilis, Lucera, Siponto. Apulia terræ-motibus maximè expoſita cum vicinis regionibus. (6) Aprutium, vulgò Abruzzo, caput ejus Aqvila, Beneventum, plagoſi Orbilii patria, Sulmo.

§. 10. Ar-

§. 10. Archiepiſcopatus in Italiâ 30. Epiſcopatus tenues, at plurimi. Academiæ illuſtriores: Patavii, Piſis, Senis, Bononiæ. Epitheta præcipuarum urbium hæc ſunt; Roma ſancta, (la Santa) Neapolis nobilis (la Gentile) Venetiæ opulentæ (la ricca) Genua ſuperba (la ſuperba) Mediolanum magnum (la grande) Florentia pulchra (la bella) Bononia pingvis (la graſſa) Ravenna antiqva (l'antica) Patavium doctum (Padova la dotta.)

DECAS XX.

§. I.

POſteaqvam Italiam tàm veterem, qvàm novam perluſtravimus, Inſulas etiam adjacentes ſumus contemplaturi Prima in his Sicilia, ab incolis dicta *Sicania*, à formâ triangulari, Triqvetra & Trinacria â tribus promontoriis, qvæ ſunt Pachynum, nunc Capo Paſſaro, Lylibæum, nunc Capo Boéo Pelorum, nunc il Faro, ad fretum Siculum, qvod Scyllæ & Charybdis nominibus infame. Virg. l. 3. Æneid:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet.

Agri ea eſt ubertas, ut ex uno tritici modio cen-

centum colligantur, ob id Catoni dicta Cella penuaria Reipublicæ Romanæ. Occupârunt hanc Galli, Duce Carolo Andegavensi, qvos incolæ, insolentiam eorum pertæsi, in vesperis Paschalibus, vulgò Siculis dictis ad unum omnes trucidârunt Anno C. 1282. Se verò Petro, Arragoniæ Regi, tradiderunt.

§. 2. Longitudo maxima mill. German. 50. Latitudo. 35.

§. 3. Urbes. Syracusæ, olim caput, Pentapolis à qvinq; partibus dicta, à Poëta appellantur qvadruplices, iis vicinus fons Arethusa; Archimedis arte diu defensæ, tandem à M. Marcello expugnatæ sunt. Hîc Dionysii Tyranni, Major & Minor regnârunt. Syracusana mensa pro lauta & opipara dicitur. Messana, olim Zancle, hodieqve celebris & potens, Hispanis hodiè obseqvium ausa negare. Catana, Ætnæ vicina, Academiâ nobilis. Hîc duo juvenes, Amphinomus & Anapias, urbe Ætnéis flammis incensâ, senio graves parentes humeris susceptos, periculo eripuerunt. Agrigentum, Phalaridis tyrannide celebre, qvi bovi æneo homines inclusos subjecto igne necavit, & infelicis machinæ architectum Perillum primum inclusit. De Agrigentinorum

luxu

luxu ita Empedocles: *Agrigentini qvotidie deliciis ita ſe ſedunt, ac ſi craſtino die morituri, domos vero ita exſtruunt, qvaſi æternùm eſſent victuri.* Agrigentum nobilitavit Alumnus Gellia, qvi ditiſſimus qvosvis Hoſpites liberaliſſimè excepit. Vid. Val. Maximus. Camarina, cui vicina Camarina palus, vid. prov. *Camarinam movere.* Drepanum in peninſulâ ſitum, à falce nomen ſortitum. Eryx, nomen montis & oppidi, in qvo templum Veneris, inde Erycina dictæ. Panormus, nunc caput Siciliæ, Proregis Sedes. Centuripæ, ad radices Ætnæ montis. Enna, de cujus campis Proſerpinam flores legentem à Plutone raptam ferunt, Umbilicus hîc Siciliæ, Leontiũ, à qva Urbe Gorgias Sophiſta Leontinus dictus, Himera. Academiæ ſunt Catanæ & Panormi.

§. 4. Fluvii Onobala, Symæthus, Anapus Himera, Gela, Selinus. Montes: Eryx, Hybla, thymo abundans, unde apes Hyblææ dicuntur. Ætna, nunc monte Gibello, de qvo Virg. l. 3. Æneid. v. 571.

Horrificis tonat Ætna ruinis,
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem (favillâ,
Turbine fumantem piceo & candente
Attol-

Attollitqve globos flammarum atqve æthera lambit.

In craterem Ætnæ, qvi ambitu ſuo viginti ſtadia complecti dicitur, Empedoclem, ut ad DEOS ſe abiiſſe vulgò perſvaderet, ſe præcipitâſſe ſcribit Hor. in Arte Poët. Cyclopum hîc ſedes ἀνθρωποφάγων, item Læſtrigonum. Hærei montes.

§. 5. Inſulæ adjacentes ſunt Ægades, Lilybæo promontorio oppoſitæ, & Æoliæ, qvæ & Vulcaniæ & Liparææ dicuntur, in qvibus præcipuæ: Lipara, Hiera, Strongyle. Haud longè à Pachyno promontorio ſita Melita, nunc Malta, qvam Eqvitibus cruciferis, Rhodo à Turca ejectis, habitandam conceſſit Carolus V. hi ſe ſuaq; ſtrenuè adverſus Turcarum hactenus inſultûs defendunt, vulgò dicti die Maltheſer Ritter. Circa hanc inſulam B. Paulus naufragium fecit, cujus in Actis fit mentio; eſt & alia Melita in Adriatico ſinu. Catelli deliciatiores vel ab hac, vel ab illâ dicuntur Melitæi.

§. 6. Sardinia fertilis, at peſtilens, qvæ & Sandaliotis & Ichnuſa, â ſoleæ effigie dicitur, urbis Romanæ cum Sicilia nutrix, venenata neſcit, præter Solifugam, animalculum araneo ſimile; herbam alit Sar-

dinia,

dinia, apio ſimilem, qvæ guſtantium ora contrahit & qvaſi ridentes perimit, unde proverbium: *Riſus Sardonius*, ſi qvis malo ſuo rideat. De merce etiam vili dicitur: *Sardi venales*. Longitudo ejus maxima 45. mill. Germ. Latitudo, 26. Urbium olim præcipuæ Caralis, Sulci, Olbia. Hodiè Oriſtana & Saſſaris. In urbe Carali Gubernator domicilium habet. Hiſpano hodiè ſubjecta Sardinia.

§. 7. Hac minor Corſica, qvæ & Terapne & Cyrnus dicta, aſpera & inculta, unde Poëta: *Hic ſola, hæc duo ſunt: exul & exilium*. Longitudo, eſt 30. mill. Latitudo, 20. Oppida Adiazzo, Calvi, ubi portus celebris, Baſtia, Gubernatoris ſedes: Tota hæc paret Genuenſibus.

§. 8. Ilva nunc Elba Græcis Æthalia Hetruriæ adjacens, Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis. Urbs Coſmopolis, à Coſmo Magno Hetruriæ Duce condita & munita.

§. 9. Ab ora Ligurum ad Maſſiliam usqve ſparſæ inſulæ vocantur Strophades.

§. 10. Inſula Sacra inter oſtia Tiberis, Iſchia, Neapoli oppoſita, cum vicinâ Capraria. Capreæ, Surrento vicinæ.

DECAS

DECAS XXI.

§. 1.

PAnnonia trans Alpes Julias ſolo fœcunda, viris armisqve valida regio, terminos habet ab occaſu juga Cethii montis, à Septentrione Danubium ab ortu eundem Danubium & Aureum montem, à meridie lineam ab Aureo monte per confluentes Timaci & Drini ductam ad frontem Unæ fluminis.

§. 2. Pannonia dividitur in Superiorem, qvæ & prima Conſularis dicitur, ad qvam pertinet Carniola, Croatia, Stiria cum bona parte Auſtriæ, de qvibus ſuprà, & inferiorem, qvæ ſecunda Conſularis eſt, complectens Boſniam, Sclavoniam, & Hungariæ partem tertiam, Danubio, Dravo & Arrabone comprehenſam: nam reliqvam Hungariæ partem tenuêre Jazyges Daciqve; Pannonia Valeria ſeu Interramnia & Riparenſis dicta eſt, inter Dravum Savumqve fluvios porrecta.

§. 3. Urbes olim celebres Segeſta, Stridon; Hieronymi patria, Vindobona, nunc Vienna, Syrmium, Taurunum, nunc Belgrad, germanis Griechiſch Weiſſenburg/ clavis Regni Hungarici, à Solimanno expugnatum anno 1520.

§. 4. Pri-

§. 4. Primi harum Regionum incolæ Pannonii fuêre Græcis Pæones, hos subegére Romani, qvos pepulére Gothi, hos Hunni, & hos Longobardi, qvibus ejectis Hunni denuò regnum recuperârunt. Tandem Anno 900. gens Scythica, oppressis Hunnis, regnum occupavit, hisqve mista nomen Regno dedit Hungariæ.

§. 5. Hungariæ termini Carpates mons, vulgò Crapaltz, cujus juga etiam nubes transscendere dicuntur. Ab Oriente Transsylvania & Walachia, A meridie Dravus. Ab Occidente Stiria, Austria, Moravia. Pars ejus maxima sub jugum Turcicum devoluta, durissimam servit servitutem. Dividitur in Superiorem & Inferiorem.

§. 6. Superioris Urbes: Posonium (Preßburg) Regni metropolis, Cassovia, Eperies, Leutsch &c. referuntur ad Urbes Montanas, vulgò die Bergstädte. Segedinum n. Seged ad Tibisci & Marysii confluentes. Nitria, cui vicinum munitissimum oppidum Neuheusel haud ita pridem, vid. Anno 1665. à Turcis expugnatum. Varadinum clavis & Hungariæ & Transsylvaniæ, qvod, Christianis nuper ereptum, Turca hodiè tenet. Tyrna amœnissima Zatmar & Tokay firmissima munimenta.

§. 7. In

§. 7. In inferiori Arrabo, vulgò Rabe, Strigonium, vulgò Graan, Buda, Regia olim, cui objacet in adversâ ripâ Peſtum. Alba Regalis, Stuel-Weiſſenburg/ Qvinqve Eccleſiæ, Comara, Caſtellum munitiſſimum, forma triangulari, qvod, cæteris oppidis, ſuperiori ſeculo à Turcâ expugnatis, ſæviſſimi vim hoſtis ſuſtinuit. Ovar, Salamonis Regis & Marcolphi fabula notum opp. paludibus cinctum, Sigethum, natura munitum & arte, in Turcarum eſt manu à Nicolao Serinio Comite, fortiſſimè defenſum 1566.

§. 8. Fluvii: Dannbius, Arrabo, Tibiscus, de qvo vulgò dicitur, qvod duæ ejus partes aqvæ ſint, tertia piſces, vocatur & Pathiſſus. Hungariæ ſolum fertiliſſimum, aer & aqva plurimis locis minùs ſalubris, incolæ feroces, infidi, Germanis maximè infenſi, ad otium, luxum, bella proclivi... penſi.

§. 9. Slavonia, propriè Regio Dravum Savumqve interjacens dicitur, oppida notiora Kopranitz, validiſſimum munimentum. Gradiskia. Pars ejus Raſcia. Raſci, vulgò die Ratzen.

§. 10. Boſnia inter Unam, Savum, Drinum fluvios, Bebiosqve montes à Boſna fl.

dicta,

dicta, Turcæ ſubjecta eſt, cujus oppida Jaitza. Warboſanin, antehàc potens, nunc mœnibus caret, utraqve latrociniis aſſveta, excurſionibus Turcicas vexat regiones.

DECAS XXII.

§. 1.

ILlyris, vel Illyricum, Regiò maritima Arſiam inter & Drilonem, diviſa in Liburniam, ab Arſia ad Titium, & Dalmatiam, à Titio ad Drilonem & Liſſum opp. Tota nunc Illyris Dalmatia dicitur, & pars eſt Slavoniæ, ſolo gaudens benigno & aurâ ſalubri.

§. 2. Liburniæ populi Japydes. Ejus hodiè duæ partes, una Morlacha, altera Banadego, in illa Senia, in hac Jadera, unde dictus Comitatus Jaderæ, (Contado di Zara) Sebenicum, amœniſſima urbs, at minùs culta. Scardonam Turcæ tenent. Raguſa ſui juris, mercaturâ copioſâ celebris. Scutari, olim Scodra, ſub Turcico jugo eſt. Spaletum, Archi-Epiſcopatu inſigne, cujus è regione ſitæ ſunt inſulæ, Corcyra nigra & Melita. Olim etiam celebris fuit Budua. Epidaurus, Dalminium, Maritima loca ferè Veneti tenent, reliqva Turcæ.

§. 3. In-

§. 3. Insulæ Illyrico adjacent qvàm plurimæ, Absorus, Issa, Pharia, Diomedéæ insulæ Gargano oppositæ sunt, Diomedéis avibus celebres.

§. 4. Græcia, sapientiæ olim studiis bellicâqve laude celebratissima, nunc Turcæ oppressâ Tyrannide, ipsâ barbarie proh dolor! magis barbara est. A Græco Rege nomen sortita est, ἕλλας dicta ab Hellene, Deucalionis filio. Græci ingeniosi, at lubricæ fidei, unde Euripides: πιςὸν ἑλλὰς οἶδεν ἐδὲν. *Græcâ fide mercari* Plauto est numeratâ pecuniâ emere; etiam gulæ plus satis addicti, unde *pergræcari* dicimus & *græco more bibere*, qvi poculis patinisqve eluendis assveti, genio nimis indulgent. Cicero qvidem in Oratione pro Flacco; *Græcia*, inqvit, *famâ, gloriâ, doctrinâ, plurimis artibus, imperio etiam & bellicâ laude floruit.*

§. 5. Græcia primùm divisa est in Thessaliam, & Græciam propriè dictam, cui deinde accesserunt Peloponnesus, Epirus, Macedonia, Creta, unà cum cæteris insulis, Ora maritima Asiæ minoris, Italiæ pars superior cum Siciliâ.

§. 6. Epirus, nunc Canina, terminos habet Celidnum fl. Pindum montem, Acheloum

loum fl., Jonium mare. Populi in eâ Molossi, unde canes Molossi dicti. Dryopes à qvercetis, qvibus abundat Epirus, Chaones, unde Chaoniæ columbæ & glandes à Poëtis dicuntur. Thesprotii, Acarnanes, mollitie & lasciviâ noti, Dolopes, Amphilochi.

§. 7. Urbes: Dodona, Jovis oraculo clara & fonte Jovis Dodonæi, qvi faces extinctas acendebat, & accensas extingvebat. vid. & prov. *Æs Dodonæum*, usurpatum de homine importunæ loqvacitatis. Buthrotum, Pyrrhi Regia. Virg. l. 3. Æneid. *Buthroti adscendimus arcem.* Cassiope, Ambracia, qvæ nomen dedit Ambracio sinui. Actium, cui opposita Nicopolis, ab Augusto condita in memoriam victoriæ de Antonio & Cleopatrâ partæ. Leucas, cui proxima Insula Leucadia, olim Neritos dicta, unde Ulysses Poëtis Neritius Heros.

§. 8. Montes: Pindus Musis sacer, & Acroceraunia, sic dicti, qvòd ob altitudinem fulminibus essent obnoxii. Hor. od. 3. l. 1. in fames eosdem, naufragiis scilicet, Scopuos dicit. Fluvii, Acheron cum Acherusiâ palude, & Achelóus. Virg. 1. Georg:

Poculaqve inventis Acheloia miſcuit uvis.

§. 9. Peloponneſus, qvaſi Pelopis Inſula nunc Morea, platani folio ſimilis eſt. Ejus Regiones (1) Achaja propriè dicta, cujus caput Corinthus, olim Ephyre, in Iſthmo ſita, totius Græciæ lumen, ut ait Cicero. Hîc celebrati ludi in honorem Neptuni, dicti Iſthmia. Iſthmum perfodere multi conati ſunt, ſed irrito conatu, unde proverbium natum. *Iſthmum perfodere*, qvod uſurpatur de labore magno, ſed irrito. Dionyſius Rex Siciliæ hîc exulavit, unde proverbium: *Dionyſius Corinthi*. Everſa â Mummio, Duce Romano, è cujus incendio cùm ſimulacra ærea, argentea, aurea confluxiſſent, Corinthiacum æs longè optimum conflatum eſt; Arx ſumma Acrocorinthus. Sinus vicini ſunt Corinthiacus vel Criſſæus, nunc Golfo de Lepanto & ſinus Saronicus, hodie Golfo de Engia. Sicyon, urbs pervetuſta, Abrahami temporibus condita, Incolæ calceis uſi delicatioribus, unde *Sicyonii calcei* pro re, parùm virilis animi indice, uſurpantur. Terræ motus hanc ad vaſtitatem redegit. Patræ ex Cicerone notæ (2) Elis, in eâ Piſa ſeu Olympia, certamine gymni-

co nobilis; vicinum huic templum Jovis Olympii, in qvo visebatur Jovis simulacrum eburneum, summâ arte â Phidia elaboratum; ejus sedentis ea magnitudo erat, ut surgere, si vitam acciperet, non posset, nisi capite tectum perrumpere vellet, licèt templum satis magnificum foret. Elis, Cyllene. (3) Messenia, cujus oppida Pylus, unde Nestor senex Pylius dicitur. Gerenia, â qvâ idem Gerenius Senex, Methone, nunc Medon, Corone, Messene, unde sinus Messeniacus dictus. (4) Arcadia, mediterranea Peloponnesi Regio, montibus ferè cincta, hinc Pastorum domicilium & Pan Deus Arcadiæ; Arcades stupidi, hinc *Arcadicus juvenis* Poëtæ est juvenis mentis parũ acutæ. Græcus ita: Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι: Musices tamen studiosi Virg. Ecl. 10.

---- *Soli cantare periti*

Arcades.

Pecus Arcadicum asinus est. Oppida: Mantinéa, Tegea, â qvâ Pan Tegeæus, Megalopolis. (5) Laconica, Urbs bellicâ laude & laboris patientiâ clarissima. Lacedæmon seu Sparta, Heroum benigna genitrix. Senectus hîc veneranda, hinc proverbium: *Spartæ expediti senescere.* Lacónes

cónes osores battalogiæ brevitati studebant, unde *laconismo uti* dicuntur breviloqventiæ studiosi. Amyclæ Prov. *Amyclas silentium perdidit.* Nati hic Dioscuri, Jovis Filii, Castor & Pollux. Gythéum, â qvo non longè abest Tænarum promontorium. Inferorum hîc aditum Poëtæ statuunt, hinc & Herculem & Orphea Euridicen suam repetiturum, per fauces Tænarias ad regna Ditis descendisse Poëtæ fingunt. Maléa promontorium naufragiis infame, unde proverbium: *Maléam prætervehens, qvæ domi sunt, obliviscere.* Insula vicina Cythera, nunc Cerigo, Veneri sacra, qvæ ab ea Cytheréa (6) Argia, ab Argo urbe primaria, nunc Romania. opp. Argos, Mycénæ. Hor. *Aptum dicit eqvis Argos ditesq; Mycenas.* Nemea, cui vicinus lucus, in qvo ludi, Neméa dicti, celebrantur in honorem Herculis, qvi Leonem hîc immanem interemit. Nauplia, hodiè Napoli di Romania, Præfecti Turcarum sedes. Trœzen ad Sinum Saronicum. Epidaurus, celebris templo Æsculapii, qvem ob serpentis specie latitantem Romani, cum pestilentiâ laborarent, Romam transtulerunt. Hermione, unde brevis ad inferos descensus. Hîc Scyllæum promont. cui

vicina Insula Calauria, Neptuni olim asylo celebris, in qvo Neptuni templo majoris mali metuens, hausto veneno, interiit Demosthenes.

§. 10. Fluvii nobiliores Penéus (alius in Thessaliâ Penéus ab imo effusus Pindo) Alphéus, Eurótas, Inachus. Mycenis vicina Lerna palus, in qva hydram illam πολυκέφαλον fuisse fabulantur, tandem ab Hercule, ope Jolai, interfectam. vid. prov. *Lerna malorum*. Stymphalus lacus, hinc aves Stymphalides σιδηρόπτεραι ab Hercule occisæ. Nonacris fons Arcadiæ, cujus humor lethifer. Montes: Cylléne, hinc Mercurius dictus Heros Cyllenius, Mænalus, Chronicus, Taygetus: Nemea sylva.

DECAS XXIII.

§. 1.

GRæcia propriè dicta, cujus terminus ab occasu Achelóus fl. Ab ortu Ægeum mare A meridie sinus Saronicus, Isthmus, & Sinus Corinthiacus. A Septentrione Callidromus, Oethris & Oéta montes.

§. 2. Regionum prima Ætolia, cujus urbes Chalcis (alia Chalcis in Eubœâ) Calydon, unde apro Calydonio nomen est, qvem Meleager

Meleager interſecit. Ovid. Metamorph l. 8..f.4. Olénus, Capella Olenia inter aſtra locata cum infantulo Jovi lac præbuerit.

§. 3. Doris (alia Doris in Aſiâ) opp. Cytinium, Bojum.

§. 4. Locris Ozolæa opp. Naupactus, nunc Lepanto, Præfecti Turcici ſedes.

§. 5. Phocis opp. Delphi, Apolline inſignes. Criſſa, Cyrrha, â qvâ Apollo Cyrrhæus dicitur. Muſarum hîc montes, Parnaſſus biceps & Helicon, unà cum fonte Caſtalio.

§. 6. Bœotia, cujus incolæ ſtupidi tardiqve, hinc nata proverbia: *Sus Bœotica, auris Bœotica, Bœoticum ingenium* de homine naris obeſæ, opp. Thebæ ἑπτάπυλοι à portarum numero cum Arce Cadméa, Patria Liberi, Herculis, Oedipi, Epaminondæ, Pindari. Thebis hirundines non ædificant. Fons huic urbi vicinus Dirce, hinc Pindarus Flacco *Dircæus cygnus*. od. l.l.4. C. item Muſarum fontes Aganippe & Hippocrene. Orchomenus, Theſpiæ infra Heliconem, ad cujus radices eſt Aſcra, Heſiodi patria. Lebadia, qvæ talpam neſcit. Chæronéa, Plutarchi patria, ubi ſceptrum erat Jovis â Vulcano fabricatum, cui Græci rem divinam faciebant. Platææ, Aulis,

portu nobilis, ſtatio Græcarum navium, qvibus Troja expugnata eſt. Leuctra, Epaminondæ victoriâ clara.

§. 7, Megaris: Urbes Megara. Euclidis patria. Diogenes maluit Megarenſis porcus eſſe, qvàm filius. Eleuſis, Cereris fano nobilis. Eleuſinia hîc ſacra Cereri, excluſis profanis ſecrete fiebant.

§. 8. Attica Regio: In hac Athenæ clariores, qvàm ut indicari egeant, hodiè Setines. Turcica his ſervitus priſtini nihil ſplendoris reliqvit. Primus earum Rex Cecrops, Conditor Urbis tempore Moſis, ultimus Codrus, tempore Davidis, non timidus pro patriâ mori. Scholæ illuſtriores, Academia, Lycéum, Pœcile porticus, in qvâ Zeno docuit, Stoicorum Parens, qvibus ἀπὸ τῆς στοᾶς, à porticu nomen eſt. Cynoſarges, Epicureorum Palæſtra. Judicii, locus honoratior Areopagus, Judices dicti Areopagitæ ſeveriſſimi. Arx Acropolis dicta, reliqva urbs Ἄστυ, Prytaneum locus in Arce dignior, in qvo Magiſtratus conſilium habere ſolebat, & benè meriti publicè alebantur. Pyræeus Portus 500. navium capax. Rhamnus, vicus Atticæ, Nemeſis templo celebris, unde eadem Dea dicta Rhamnuſia. Marathon, cui vicinus cam-

campus Marathonius, victoria Miltiadæ illuſtris. *Attica fides* i. optima, *Teſtis Atticus* i. Claſſicus & fide dignus, *Attica Muſa* & *Atticus lepos* de eleganti dicitur. Sunium promontorium, Decelia caſtellum.

§. 9. Prætereà Locri, Epicnemidii app. Cnemides, & Opuntii, oppidum Opus.

§. 10. Fluvii: Evénus Cephiſſus, Aſôpus, Iſménus, Eridanus, Iliſſus. Montes: Othrys, Oeta, in qvo ſemetipſum Hercules combuſſit, Callidromus, Thermopylæ, Parnaſſus, Helicon, Citheron fabuloſus, Hymettus, unde apis & trabs Hymettia. Scironia Saxa, Scironis latrociniis nota.

DECAS XXIV.

§. 1.

THeſſalia, olim Æmonia, ſedes Deucalionis & Pyrrhæ, qvos genus humanum diluvio perditum jactu lapidum reparâſſe fabula eſt, legenda apud Ovid. l. 1. Metamorph. Eqvitatu tam celebris regio, qvàm veneficiis infamis. Horat. od. 5. Epod:

Sidera excantata voce Theſſalâ.

§. 2. Regiones & Urbes (1) Theſſalia propriè dicta opp. Hypata (2) Eſtiotis Opp. Phæſtus, Tricca, nunc primaria ſedes Præ-

fecti. Pharsalos Apidano fluvio vicina, cum campis Pharsalicis, in qvibus Cæsar & Pompejus acie decertârunt. (3) Pelasgia opp. Atrax, Scotussa, patria Polydamantis Athletæ, qvi concitatis vi summâ qvadrigis, currûs correptos unâ manu stitit (4) Magnesia opp. Jolcos, venenorum ferax. Horat. od 5. Epod. Magnesia, Methóne, qvam cùm obsedisset Philippus, ictu sagittæ oculum amisit. (5) Phthiotis. opp. Phthia & Larissa, unde Achilles Phthius & Larissæus, dictus. Pheræ, Alexandro Tyranno celebres. Cranon, ubi cum convivis suis oppressus Scopas, qvâ occasione Simonides artem Memoriæ invenit. Demetrias, nunc Metropolis, Thebæ Thessalicæ ad sinum Maliacum, in qvo insula Anticyra, hellebori ferax, unde homines malè sanos *Anticyram navigare* jubemus. Horat. in A. Poët. *Tribus Anticyris caput insanabile.*

§. 3. Fluvii Sperchius & Penéus ad qvem visenda Tempe, longitudine 5000. passuum & fermè sesqvijugeri latitudine, loca amœnissima. Penéi filia Daphne â Phœbo amata dicitur, inqve laurum hîc versa. Ovid. l. 1. Metamorph. fab. 9. Lacus Bœbis. Montes, Græciam inter & Thessaliam

am Othrys Lapitharum domicilium, & Oeta. Thermopylæ item trophæis Lacónum, cum Duce Leonida hîc â Persis cæsorum, nobiles. Olympus, cujus eximia altitudo â Poëtis celebratur. Pelius, Centaurorum sedes, è qvibus Chiron Achillem artes Principe dignas docuit. Ossa etiam, hos montes, ut est in fabulis, congessere Gigantes Ovid. l. 1. Metamorph. fab. 5.

At pater omnipotens misso perfregit Olympum (Ossæ.
Fulmine, & excussit subjectum Pelion

§. 4. Macedonia, antè dicta Æmathia, Philippi & Alexandri nominibus clarissima. Ejus termini ab ortu Ægéum mare, ab occasu Jonium, â meridie Thessalia, â Septentrione Thracia & Illyris.

§. 5. Regionum (1) Pieria Musarum parens, ad sinum Thermaicum. Opp Dium & Pydna (2) Æmathia opp. Pella, â qvâ Alexander Pellæus juvenis dicitur. Ægéa Regum sepulturâ celebris. Berrhoëa, ubi Judæi adversus S. Paulum seditionem moverunt. (3) Mygdonia opp. Physce. (4) Amphaxitis, opp. Thessalonica, hodiè Salonichi, Præfecti sedes, Emporium celeberrimum. Cicero hîc exulavit, Paulus docuit, Therma olim dicta est, unde sinui

Thermaico nomen eſt. Stagira, Ariſtotelis cunis ſclara. *Stagiritarum* lex: *ἃ μὴ κατέθου, μὴ λάμβανε, qvæ non poſuiſti, ne tollas.* (5) Paraxis opp. Pallena, olim Phlegra, Gigantum ſedes gentis impiæ qvam Hercules extirpâſſe dicitur; Torone, unde ſinus Toronaicus dictus. Olynthus, patria Calliſtenis, Philos â Perſis primùm, poſtea à Philippo Mac. R. expugnata. (6) Chalcidica Regio. Oppidum Singus, unde Sinus Singiticus (7) Biſaltia. Opp. Euporia (8) Edonia ad Strymonem fl. opp. Amphipolis, â Chriſtianis dicta Chriſtipolis; Philippi, aurifodinis divites, hîc â Philippo, conflati nummi Philippici. In campis Philippicis Caſſius & Brutus ab Octavio profligati. Hor. od. 7. l. 2. C. *non ego ſaniùs bacchabor Edonis.* (9) Orbelia ab Orbelo monte Macedoniæ dicta, opp. Gariſcus. (10) Lynceſtis, opp. Heraclea (11) Almopia, Almopes, ad Scardum Montem habitarunt, qvi Macedoniam ab Illyrico ſeparat. Oppidum Albanopolis. (12) Taulantii ad mare Adriaticum, qvorum Epidamnus, boni ominis ergò â Romanis appellata Dyrrachium, nunc Durrazo. Ex hac urbe in Peninſalâ ſitâ in Italiam ferè trajicere ſolebant Romani. Apollonia literarum

rarum

rarum hîc studia maximè floruerunt. Re-
gionem hanc olim tenuit Georgius Castri-
otus, dictus alio nomine Scanderbegus,
qvi insanos Turcæ impetûs fortiter susti-
nuit, & qvoad vixit, repressit, Heros claris-
simus, cujus patria Croja, Regio Albania.

§. 6. Fluvii Ægæum mare petentes A-
liacmon, Axius, Chabris, Strymon. A-
driaticum Celidnus Laus, Apsus. Panya-
sus. Mons Athos altiùs surgens, qvàm un-
de imbres cadunt, hodiè mons sacer dici-
tur, eò qvod Monachi Christiani hîc 24.
Monasteria benè munita habitant.

§. 7. Insulæ circa Græciam plurimæ
(1) Corcyra, Buthroto opposita, nunc Cor-
fu, olim Phæacia, Alcinoi hortis nobilita-
ta. Opp. Corcyra & Cassiope. Venetis
paret. (2) Cephalenia, cui vicina (3) Itha-
ca cum Nerito monte, unde Ulysses Itha-
cus & Dux Neritius. Lepores nescit. (4)
Zacynthus, nunc Zante, nemorosa Zacyn-
thus (5) Echinades Insulæ (6) Strophades,
quæ insulæ Peloponneso adjacentes, à con-
versione Calais & Zethæ, qvi ad has usqve
insulas Harpyias persecuti sunt. De Har-
pyis vid. Serv. Com in 3 Æneid.

§. 8. Euboea nunc Negroponte, Bœo-
tiæ adjacens, à qvâ Euripo separatur mi-

ro fluxu & refluxu memorabili. Urbes Chalcis, ubi mortuus Ariſtoteles. Calyſtus, marmore nobilis & avibus Calyſtiis, qvæ flammas impunè involant. Eretria, Lapidem in hac inſulâ naſci ſcribit Strabo, qvi plectitur & texitur, adeòqve ex eo mantilia conficiuntur, qvæ ſordida, injecta flammis purgantur. Caphâreus Mons & promontorium Græcorum, Troja redeuntium, naufragio infame. (2) Scyros, ubi Achilles in Gynecéo Lycomedis Regis latuit, (3) Lemnos, nunc Stalimene, hîc terra Lemnia effoditur d. 6. Auguſti certis ceremoniis, & ad Turcarum Principem defertur, vocatur etiam ſigillata, vid. prov. *Lemnia mala.* (4) Thaſus, marmore & vite clara. (5) Samothrace, commune Reorum (homicidis exceptis) aſylum. (6) Imbrus, Mercurio ſacra, (7) Lesbos, nunc Metellino. Opp. Mytilene & Methymna, Alcæi, Sapphûs, Arionis nominibus clara hæc Inſula. *Lesboum tendere barbiton* Hor. od. 1. l. 1. C. Lesbii Cantores optimi, hinc prov. *poſt Lesbium Cantorem*, ſi qvis ſecundas, non primas in aliqva arte teneat. (8) Ægina, olim Oenone, incolæ Myrmidones, regnavit hîc Æacus, Juſtitiæ laude inſignis unde & cum Minöe & Rhadamanto Ju-

dex

dex inferorum constitutus est. Æginetis re nauticâ excellentibus Athenienses pollices præcidi jusserunt. (9) Salamis, in sinu Saronico. Telamonis Regia, qvi fuit Pater Ajacis & Teucri.

§. 9. Qvæ in medio mari jacent Insulæ, Cyclades vocantur, qvæ sparsæ Sporades. In illis (1) Delos, in cujus monte Cyntho Apollo & Diana nati, hinc Apollo Delius & Cynthius. *Delius natator* prov. dicitur natandi peritissimus. (2) Andrus. (3) Parus, unde Parium marmor. Archilochi Patria. (4) Naxus, vitium ferax. (5) Seriphus, prov. *Rana Seriphia* de homine nimis taciturno. (6) Gyarus, in qvam & Seriphum Romani damnatos relegârunt; Juvenalis: *aude aliqvid Gyaris & carcere dignum &c.* (7) Mycone, Gigantum sepulchrum. (8) Ceos, patria Simonidis (9) Chius, *vinum Chium* optimum, prov. *Chius risus* de lascivo luxu (10) Jos Homeri sepulchro celebris. Sporadum (1) Icaria in pelago Icario, cui nomen fecit Icarus infeliciter usus pennis non homini datis. (2) Pathmus, Johannis exilio insignis. (3) Samus, ubi primùm vasa fictilia facta sunt. Samii literati dicuntur per ignominiam, ob flagitia stigmatibus notati. Juno-

nis hîc templum celebre (4) Côs, Patria Hippocratis & Apellis. Coi diſerti fuerunt, Chii loqvaces, unde prov. *Chius Coum loqvi non ſinit.* (5) Clarus, unde Apollo Clarius, qvanqvam & alia Clarus, urbs Joniæ. (6) Carpathus, qvæ Carpathio pelago nomen facit.

§. 10. Creta, hodiè â Metropoli, Candia, Hecatompolis Homero, nonnullis μακαρόνησος ob eximiam cœli ſoliqve benignitatem. Ejus longitudo maxima 70 mill. latitudo 15. de hac Virg. 3. Æneid. *Creta Iovis magni medio jacet inſula Ponto.* In Idâ monte Jovem ferunt educatum & ſepultum ſepulchroqve inſcriptum legi: ὁ Ζεὺς τοῦ Κρόνου. Celebris inſula Regibus, Rhadamonto & Minoë & Labyrintho, cui incluſus erat Minotaurus, â Theſeo, ope Ariadnes, occiſus. Urbium clariſſima Gortyna, Gnoſſus, unde Gnoſſia ſpicula, Lyctus unde Idomeneus Lyctius Heros, Cydon nunc Canea. Dictinna, Cydonia, nunc Candia, qvam Venetis Turcæ nuper eripuerunt. Retimo, Sittia urbes munitiſſimæ. Montes Dyctæus, Idæus, Corycus. Vinum Creta mittit Malvaticum & ſaccarem, qvod Candiæ vocant. Serpens in eâ nulla, larga vitis, cupreſſus plurima. Titus ejus Epiſcopus

pus fuit. Incolæ flagitiis infames, unde Epimenides:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Proverbia nota: *Cretensis cum Ægineta*, qvod dicitur in pariter improbos. *Cretiza cum Cretensi*, ut homo est, ita morem geras. *Cretensis mare* sc. nescit, in simulatorem. Τρία κάππα κάκιστα: *Cretensis, Cappadox, Cilix*. Maximam hujus Insulæ partem, Candiâ Metropoli diuturnâ nuper obsidione expugnatâ, Turca in suam redegit potestatem.

DECAS XXV.

§. 1.

THracia, nunc Romania cui ab asperitate nomen videtur inditum, qvia Regio nec cœlo læta, nec solo. Gens bellicosa Hor. od. 16. l. 2. Carm. *Bello furiosa Thrace* & vinosa, unde *Amystis Threicia* nota ex Horatii Od. 36. l. 1. Carm. conf. od. 27. l. 1.

§. 2. Termini ejus â Septentrione Æmus m. Ab ortu Pontus & Propontis. A meridie mare Ægéum. Ab occidente Strymon fl. Thraciam inter & Macedoniam, medius. Populi olim illustres: Odrysæ,

Mars Odrysius, Bistones, Cicones, *Scordisci* omnium sævissimi.

§. 3. Abdéra, Democriti illius, qvi *perpetuo risu pulmonem agitare solebat*, *Patria*. Tinda infamis stabulis Diomedis, soliti hospites eqvis objicere laniandos, qvibus proinde ipse ab Hercule objectus est. Ænus ab Ænea condita. In Chersoneso Lysimachia, Sestus cui in Asia opposita Abydus; Castella his vicina Turcæ vocant Dardanelli, tormentis bellicis instructissima. Calliopolis, cui Lampsacus opposita, de tribus Urbibus una, qvas Artaxerxes donavit Themistocli exuli Vid. Nep. in Them. Ad Propontidem Bisanthe, Perinthus, Amphitheatro marmoreo nobilitata. Byzantium ad Bosphorum Thracium, Nova Roma dicta & Constantinopolis, Turcis Stambol, Christianis â Turca erepta Anno 1453. universi Turcici Imperii Epitome, in circuitu tria cum dimidio mill. Germ. complectitur, habitata â Turcis, Christianis, Judæis, fana habet majora & minora 5337. in qvibus templum S. Sophiæ, nunc Mesqvita Turcarum augustissimum, palatium Imperatoris Seraglio dicitur. Ab hac secundum locum tenet Hadrianopolis, Turcici Regni sedes ante captam

ptam Constantinopolin. Trajanopolis, Philippopolis. Byzia, arx Regum Thraciæ. Ad oram Ponti Phinopolis, Apollonia. Regio vocatur Sithonia, unde *Sithoniæ nives* Poëtis dictæ.

§. 4. Fluvii celebriores Hebrus, Nessus, Athyras. Montes Hæmus altissimus, Orbellus, Pangæus, aurifodinis clarus, Rhodope, cui vicinus Ismarus. Virg. Ecl. 6.

Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.

§. 5. Qvod ad Græcorum attinet Religionem, à superstitione illi Pontificia abhorrent, neqve Papam caput Ecclesiæ agnoscunt: Ipsi verò sibi Capita constituerunt qvatuor, Patriarcharum titulo insignia. Primus Patriarcha Constantinopolitanus, alter Alexandrinus in Ægypto, cujus Cairus sedes: Hierosolymitanus in Syriâ, qvartus Antiochenus in reliqva Asia. Doctrinam & Statum Orientalis Ecclesiæ cognoscere si desideres, lege Metrophanis Critopuli Confessionem Ecclesiæ in Oriente, latinitate donatam à Joh. Hornejo & impressam Helmstadi Anno 1661.

§. 6. Mœsia, Romanis Cereris horreum ob soli fertilitatem dicta, Regio intra

tra Istrum & Æmum ad Pontum usqve extensa, dividitur in Superiorem, qvæ nunc Servia, & Inferiorem, qvæ Bulgaria dicitur, in utriusq; medio est Ciabrus fluvius.

§. 7. In superiori Dardani locantur populi, ipsaqve Regio Dardania est. In inferiori Triballi, Peucestæ, Troglodytæ, etiam Getæ, qvi utramqve Istri ripam tenuerunt.

§. 8. Oppida clariora Senderovia, Regum olim Serviæ sedes, Severinum cum vicino Ponte Trajani, stupendi operis. Nicopolis in Bulgariâ, ad qvam Sigismundus Imperator â Bajazete Turca victus est Anno 1396. Tomi Ovidii exilio celebres Varna clade Uladislai, Hungariæ Regis nota, qvi Amurathi contra datam fidem bellum inferens, DEO perjurii vindice, infelicissimè hîc pugnavit, Anno 1444. Novograd arce munita inexpugnabili Bulgariæ caput est Sophia. Decimum qvemqve Bulgarorum Turcæ ad militiam legunt.

§. 9. Fluviorum Europæ maximus Ister, qvi sexaginta receptis amnibus, sex ostiis vastissimis in Pontum evolvitur; Timacus, nunc Lim.

§. 10. Mœsi, populi feri, â Romanis domiti, hinc Servi & Bulgari, Sarmatiæ Asia-

Asiaticæ gentes, duo hîc regna constituerunt. His oppressis Turcæ ea tenent.

DECAS XXVI.

§. 1.

DAcia, trans Istrum, Mœsiæ contermina divisa in Ripensem, qvæ hodiè partem Hungariæ, cum parte Valachiæ complectitur Mediterraneam, qvæ tota nunc est Transsylvania & Alpestrem, Moldaviam & partem majorem Valachiæ complexam, & Carpatho monte cinctam.

§. 2. Urbium olim caput Ulpia Trajana, Decebali regia, cui Trajanus bellum intulit, victor; Zeugma, qvam esse nonnulli putant Clausenburg.

§. 3. Fluvii: Tibiscus, Marisus, qvi & Rhabon, Carpathe monte editi; Alutha.

§. 4. Transsylvania â sylvis, qvibus cincta, sic dicta, Germ. Siebenbürgen / eam Saxonas colonos tempore Caroli M. recepisse, sunt, qvi affirmant. Regio auri ferax & tritici, unde incolæ triticeo ferè pane vescuntur, etiam vini, eqvorum, boum. Carnis bubulæ libra emi solet unico nummulo. Longitudo est 24. mill. Germ: eademqve latitudo.

§. 5. Ur-

§. 5. Urbes primariæ Cibinium, Hermanstad / amplitudine Viennæ Auſtriæ comparanda, Alba Julia, Weiſſenburg/cujus Gymnaſium illuſtravit Alſtedius: Claudiopolis, Klauſenburg / Photinianorum receptaculum. Stephanopolis, Kronſtadt/ intra montes amœniſſimos ſita. Huc refertur Waradinum â Turcis expugnatum Anno 1660. & Zatmaria: Diſtrictus hîc Burzlandia vocatur, ultima Transſylvaniæ pars, da das deutſche Vater Unſer ein Ende hat/ut vulgò loquuntur.

§. 6. Valachia, olim diviſa in Majorem & Minorem. Major nunc Moldavia dicitur, Minori nomen remanſit. Qvælibet ſuo parebat Principi, dicto Waywoda, nunc partem Hungariæ Rex, partem Turca tenet, cui utraqve tam Valachiæ, qvàm Moldaviæ princeps tributa pendit. Walachiæ caput & ſedes Waywodæ, qvi & Hoſpodar vulgò dicitur, Targovisko. Moldaviæ caput eſt Suczona it. Moncaſtro.

§. 7. Tartaria minor ſeu Europæa, Boryſthene, Tanai, Mæoti palude ac Ponto cincta, dividitur in Tartariam Precopenſem, qvæ eſt ipſa Taurica Cherſoneſus, & Creméam.

§. 8. In Cherſoneſo Taurica fuére populi

puli Tauri & Cimmerii. Opp. Cimmerium, Theodosia, Præfecti Turcici seu Begerbergi sedes h. Kaffa. Przecop, Thaphros olim princeps. Extra Chersonesum Agathyrsi, Nomades, Hamaxobii, gentes Scythicæ, qvas pepulére Tartari, qvi nomen, non mores mutârunt: nam Tartari hodieqve Scytharum more plaustris domorum vice utuntur campisqve vagantur, gens fera, sordida, rapax, Mahumedico delirio addicta, licet pleriqve Tartarorum athei sint, Borysthenem inter & Tanaim errant, ex rapto vivunt, lacte & carne eqvinâ, eqvinis maximis capitibus delectantur, herbis vescuntur qvàm plurimis, eqvis abundant pernicissimis, qvarum sangvine potùs vice sitientes utuntur, Justitiæ apud illos vix umbra, de vi & injuria qvestus, hanc à Judice audit sententiam: si & tu re aliqva egueris, ab aliis rape; idem Homicidæ, eqvo & arcu ademtis, i ait, & rem tuam cura.

§. 9. Qvod reliqvum terrarum est in Europa coluére Sarmatæ vel Sauromatæ, qvorum alii Europæi dicti, alii Asiatici. Longitudo ejus maxima ab Istri & Patissi confluentibus ad Obii fl. ostium 450. mill. Latitudo inter Rha fluvium & sinum

Gran-

Granvicum 360. Populi clariores in Sarmatiâ Venedi, qvi nunc ſunt Livones. Boruſſi, Poloni, Jazyges, Metanaſtæ ſive Vagi, inter Iſtrum & Patiſſum. Hyperborei fuerunt, ſi fuiſſe credimus, in extremo littore Oceani Septentrionalis, ultrà aqvilonem & montes Riphæos, qvos orbis cingulum vocant. Hos & diutiùs & beatiùs cæteris vixiſſe mortalium, fama, imò fabula eſt, cum navigatio docuerit, in his regionibus miram potiùs aeris inclementiam & horrorem eſſe, qvam cœli ſoliqve felicitatem.

§. 50. Sarmatiæ flumina Rubo, die Düne/ in ſinum Venedicum propè Rigam ſe exonerans. Chronus, die Mämmel/ Vilna fl. recepto, ſinum Codanum petit. Amadoca palus. Boryſthenes, nunc Nieper in pontum Euxinum decurrens, cujus inſulas habitant Coſaki, qvi absqve Stipendiis militant, ſolâ prædâ contenti, ad rapinas & latrocinia qvaſi nati. Hunc fluvium lacte & melle fluere perhibent eo, qvòd regiones alluit lacte & melle abundantes. Ocka; Volga in Moſcovia navigabiles. Montes, Carpathes, Poloniam ab Hungaria ſubmovens, & Riphæi.

DECAS

DECAS XXVII.

§. 1.

POloniæ regnum, cui nomen eſt à Pole, qvod Slavonica lingva campum ſignificat, ampliſſimum eſt, ſolo benigno ac fertili, montanis qvibusdam partibus exceptis. Termini ejus â Septentrione mare Svevicum & Sinus Venedicus, qvi & Livonicus & linea ab opp. Pernavia ad Dunæ fontes ducta. Ab ortu Boryſthenes ſive Dniper. A meridie Tyras ſeu Nieſter cum Carpathe monte. Ab occaſu Sileſia; Marchia Brandenburgenſis, Pomerania. Longitudo 200. mill. Germ. Latitudo 150.

§. 2. Poloniæ hæ ſunt Regiones (1) Polonia Major, qvam mediam iuterſecat Wartha fl. navigabilis. Metropolis ejus Poſenania, Poſen/ arce, Epiſcopatu, Mercaturâ, Templis magnificis clariſſima. Gnesna, Gnieſen, cujus Epiſcopus Poloniæ primus eſt & primas Regni Principum, interregni etiam tempore Prorex. Petricovia â Comitiis & Magnatum Curiis nobilis. (2) Polonia minor, cujus caput Cracovia, â Craco conditore, cujus & monumentum hîc viſitur, ita dicta, ædificiorum ſplendore Italiæ Germaniæqve urbibus

nihil

nihil cedit, ſede & arce Regiâ, Academiâ, Templo St. Stanislai, Altari argenteo & ſacello, cujus tectum inauratum, inſignis. Qvatuor ab hâc milliaribus viſitur mons Calvariæ ad normam ejus, qvi Hieroſolymis eſt, accommodatus cum Monaſterio ſatis ſplendido. Sendomiria, oppidum arte & naturâ munitum. Lublinium urbs ſtagnis cincta, nundinis clara. Memorabilis etiam eſt Czenſtochia, celebre habens cœnobium in Claro monte, opulentum donis Regum, egregiè munitum, qvod Sveci nuper fruſtrà oppugnârunt. A Lecho primo gentis Conditore, Principes hîc regnârunt; Præmislaus Regiam ſibi dignitatem vendicavit, & ad Succeſſores transmiſit: qvanqvam enim ante hunc Boleslaus regium aſſumſit nomen & inſignia, eadem tamen cum ipſo dignitas exſpiravit, neqve à ſucceſſoribus uſurpata. (3) Lituania, magni Ducis titulo inſignis, donec Jagello Anno 1386. in Regem Poloniæ electus, Ducatum hunc Regno Polonico adjunxit. Regio vaſta & ſylvis horrida. Urbium caput Vilna â flumine ſic appellata, ampla & ſpatioſa, at ligneis conſtans ædificiis. Navagardia illâ major, at incultior, Urbs Ruſſiæ Albæ, Grodna ad Chro-

num

num fl vulgò Memel. (4) Russia Nigra, qvæ aliis Rubra est & Minor, ad differentiam Majoris, qvæ Alba dicitur, & complectitur Moscoviticum Imperium. Ejus caput Leopolis Lemberg / emporium celeberrimum, duas habet arces, qvarum altera muro includitur, altera eminentissimo scopulo extra urbem imposita. Præmislia, ubi visitur vivarium Regium, Kiovia. Incolæ Russi & Rutheni dicuntur. (5) Podolia pecori, qvam hominibus alendis benignior, pascuis adeò luxuriantibus, ut boum ingentium immania cornua vix è gramine appareant, agri tamen non nulli adeò duri & petrosi, ut bis terni boves aratro uni ducendo vix sufficiant, interdum ea vis frigoris, ut aqva ex editiori loco effusa, ante in glaciem concrescat, qvàm terram contingat. Caput ejus Camenecia (Kamienyecz) Urbs in arduo saxo condita, qvæ vim Turcarum & Tartarorum sæpè sustinuit inexpugnabilis, nuper autem rebus ad graviorem sustinendam obsidionem minùs instructa, à Turcis expugnata est, necdum recuperata. Hæc Podolia cum parte Russiæ Nigræ vocatur h. Ukraina (6) Volinia, Wolin opp. Lutzko sede Episcopali clara. (7) Maso-

via. Urbs Warſavia, centrum Poloniæ, ſede Regia, Regniqve Comitiis celebris. Pons hîc ligneus ſuprâ Viſtulam longiſſimus totius Europæ eſſe dicitur. (8) Podelaſſia opp Bielsko (9) Livonia, Liefflanð/ regio paluſtris, nemoroſa, in eâ lepores colorem mutant, hyeme albi, æſtate cinerei, multi in eâ, ut perhibent, Lycanthropi. Religio in ea friget, maximè in agris, unde nati vulgò noti rythmi:

Eck bin ein Liefflándiſch Buer/
Mien Leven wart mir ſüer/
Eck ſtiege op den berken Boem
Davon hau ick Sattel un Toem/
Eck binde die Schoe met Baſte/
Un fülle den Junckern dee Kaſte/
Eck gefe dem Paſtor dee Pflicht/
Unn with von GOtt un ſienen Woorenicht.

Patres ejus qvatuor: Eſtia vel Eſthonia, in qvâ Revalia, munita Urbs cum Arce. Dorpatum, â Guſtavo Adolpho Academiâ ornatum. 2. Lettea, in qvâ Riga, totius Livoniæ caput, emporium & propugnaculum validiſſimum cum vicinâ Arce Dunamun-

namunda. Rockenhausen. 3. Semigallia. 4. Churlandiæ ducatus. Caput Goldingen. Churlandiæ Ducem Sveci anno 1658. omni suâ ditione exutum, restituerunt anno 1660. Ducis sedes Mitou. Livonia Sveco nunc paret. (10) Samogitia illustre nihil habet, præter Counam, in qvâ *Starosta* residet, terra hîc ligneo, non ferreo vomere scinditur (11) Prussia, Preussen/feracissima Regio, qvam Cruciferorum ordo Teutonicus, Barbaris oppressis, tenuit; cum verò Commendatorum qvorundam Tyrannidem subditi ægrè ferrent, in Poloni clientelam se commiserunt. Ea hodiè dividitur in Regalem, qvœ Regi subest, & Ducalem, qvæ Marchioni Brandenburgico in Feudum concessa Anno 1525. at nuper Casimirus Rex Poloniæ Electori Brandenb. Friederico Wilhelmo in eundem Ducatum plenam & liberam concessit potestatem. Illius caput Gedanum sive Dantiscum, Dantzig/nobilissimum Svevici maris Emporium, qvod Casimiro Regi Sveco nuper victore ab omnibus ferè deserto, fidem vel solum præstitit. Vicinum munimentum die Weichselmünde & Cœnobium, Oliva, in qvo pax paucis abhinc annis inter Svecum & Polonum

conciliata. Torunium ad Viſtulam, Elbingium probè munitum. Mariæburgum, Arcem habens munitiſſimam. Culm, Bromberg. Hujus Regius mons Königsberg ad Pregelumfl. Aulâ ducali & Academiâ inſignis. Triplici oppido gaudet, unum Vetus, alterum Lebenicht / tertium Kniephoff / in qvo Collegium Academicum. Portum habet munitiſſimum Pillau. In boreali hoc littore ſuccinum ſeu Electrum copioſè colligitur (12) Caſſubiæ Ducatus, opp. Conitza.

§. 3. Archiepiſcopatûs in Poloniâ tres Gnæſnenſis, Leopolitanus, Rigenſis. Academiæ Cracovienſis & Regiomontana. Præterea 14. Epiſcopatûs habet Polonia, 30. Palatinos, 83. Caſtellanos.

§. 4. Poloni feroces, arrogantes, libertatis nimis ſtudioſi, Rex ex ſolis nobilibus, 150000. millia militum in aciem educere poteſt. Status Regni mixtus, corruptus.

§. 5. Ruſſia Alba, Major, Moſcovia â capite ſuo, vel â Moſqvâ fluvio in Occam ſe exonerante, dicta, ultima eſt Europæ Regio.

§. 6. Longitudo ejus maxima 380, mill. Germ. Latitudo 300.

§. 7. Urbium omnium maxima, Magni Ducis

Ducis, qvi Imperatorem ſe appellari vult, ſedes Moſcovia, ad fluvium cognominem, 41500. ædificiorum millia complectens. Curia magni Ducis capaciſſima, in qvâ ipſe Dux cum præſidio 20000. ſatellitum habitat. Novogardia magna, potentiſſima, olim totius Ruſſiæ civitas, unde Prov. *Quis contra Deum & Novogardiam* magnam? â Svecis tamen ſub initium hujus ſeculi capta eſt. Smolenskum, muro ſex cubitos lato cinctum, Polonis ereptum 1654. Wolodimir caput antehàc Imperii. Nisy Novogrod i. e. inferior Novogardia, Usting Emporium celebre, S. Nicolai, S. Mich. Archangeli.

§. 8. Duces Comitesqve in Muſcovia mancipia qvaſi ſunt Imperatoris, qvem Czar vocant incolæ, neqve ad hæredes Principatus ſuos tranſmittunt: addicit Magnus Dux pagos agrosqve, qvibuscunqve libet, & abſoluto in ſubditos rerum omnium gaudet Imperio, eum Numinis habent loco, & qvæ ejus imperio geruntur, divino geri nutu perſvaſi ſunt.

§. 9. Ruſſi Religionem â Græcis acceperunt circa annum 980. Sanctos & in his S. Nicolaum impenſè ac penè ridiculè colunt. Mortuo apponunt literas ad S. Petrum commendatitias, ſe verè Chriſtianos

dicunt, nos aqvâ ſaltem ſacrâ conſperſos. Epiſcopos habent, qvos Uladiccas i. e Oeconomos, & Sacerdotes, qvos Poppos & Archipoppos vocant, Metropolita Moſcoviæ reſidet. Academias Ruſſi non habent, legere ſaltem & ſcribere docentur pueri. Vid. Itiner. Cl. Dn. Olearii.

§. 10. Moſchis finitimi & hoſtes æterni Crimei Tartari, de qvibus ſuprà, qvi anno 242. magnâ parte Moſcoviæ, Poloniæ, Hungariæ vaſtatâ, tot Chriſtianos occiderunt, ut auriculis, qvas ſingulas ſingulis præciderant, novem ſaccos, ut ſuprà memoravimus, impleverint. Tantum de Moſcovia totaqve Europa.

ASIA

DECAS XXIIX.

§. 1.

ALtera pars noſtræ continentis ASIA, ab Aſia, uxore Japeti, qvæ Prometheum, ut ajunt, peperit, Europâ multò vaſtior eſt, at incultior. In eâ primus homo conditus; hîc artes primùm inventæ, Lex lata, Evangelium promulgatum. Longitudo maxima intrà Helleſpontum & Malaccam

laccam 1300. mill. Germ. Latitudo inter fauces sinûs Arabici & Tabin promont. 1220. mill.

§. 2. Divisa olim in Majorem & Minorem, nunc in qvinqve amplissima Regna (1) Tartariam (2) Sinam, (3) Indiam cum adjacentibus Insulis (4) Persiam (5) Turcarum Imperium.

§. 3. Superato Tanai, ingredimur Scythiam, qvæ ab Imao monte dividitur in Scythiam intra & extra Imaum.

§. 4. Sarmatia Asiatica inclusa Tanai & Rha fl. mari Hyrcano & Pontico, Montibus Corace Caucasoqve. Nunc Tartari Czyrcassi eas terras tenent. Mæotim paludem & Caspium mare habitârunt Turcæ, qvi per Caucasias portas irruperunt, & arma victricia latissimè circumtulerunt. Amazones mulieres bellicosæ ad Tanaim primùm habitâsse dicuntur, pòst in Cappadociam transgressæ, ad Thermodontem fl. consedere.

§. 5. In Scythia intra Imaum fuére populi: Sacæ, Sassones, Massagetæ ἀνθρωποφάγοι, â qvibus Cyrus Persarum Rex victus est, ejusqve capite abscisso illusum à Regina Tomyri, Just. l. 1. cujus tamen historiæ veritas multis suspecta.

§. 6. Scythiæ celebriores fluvii Rha f. Volga & Jaxartes, nunc Chesel, in Hyrcanum mare defluentes. Obius & Paropamisus, ad qvem Urbs Camul, mare septentrionale petunt. Imaus montium maximus, cujus pars septentrionalis Alkai dicitur, ubi Imperatorum Tartariæ sepulchra.

§ 7. Sericam Regionem, qvæ nunc Cataiæ Regnum dicitur, coluére Seres, tenuissimam lanam ex frondibus depectentes, â qvâ vestes Sericæ nomen habent, Poeta: *Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus.*

§ 8 Sogdiana inter Oxi dextram ripam, & Sogdios montes, olim Persiæ, nunc Tartariæ pars, in hujus finibus Alexandriam tertiam Alexander M. condidit.

§. 9. Tartaria, â Borysthenis ostio ad Tabin usqve promontorium extensa, dividitur in Europæam, de qva paulò ante dictum, & Asiaticam, cujus qvinqve potissimum partes (1.) Tartaria deserta in hordas (horda cætum seu conventum plurium notat) complures distributa, qvarum præcipuæ: Zavolhensis, cujus incolæ & Bulgari dicuntur, eorumqve coloniæ habentur Turcæ, olim horum Imperator Ulachan i. e. Magnus Imperator appellabatur.

batur. Caſanenſis cum urbe Caſan. Aſtrachanenſis cum urbe Aſtrachan ad oſtia Volgæ:

--- Die Königliche Stadt
Das Land / das Ceres baut / Pomona liebt und hegt/
Das Bacchus ümb und ümb mit Reben überlegt.

Flemm. p. m. 100. Regna hæc Moſcovita ſuperiori ſeculo occupavit. Tumenſis, qvæ magno Chano Cataino paret, ; Czyrkaſſi, Samojedi, ad ultima Oceani littora, hi ſolem, rubrum pannum, pellem capræ extenſam adorabant, nonnulli Ruſſorum fidem, qvorum ſub Imperio ſunt, profitentur. Vid. de his Itiner. Cl. Olearii. Gruſtina ad Obii ripam, emporium celebre (2) Tartaria Zagataia, urbs Samarcanda, Tamerlane bellicoſſiſſimo Imperatore Tartarorum celebris, cujus & ſepulchrum hîc viſitur. Aſiam ille vaſtavit & Bajazetem Turcam captum vinctumqve aureis compedibus, ut ſuus Majeſtati honos haberetur, caveæ incluſit Anno 1398. (3) Regnum Turkeſtan, cujus incolæ Sacæ. opp. Caſcar it. Caraia ad lacum Salsum, ubi mulieres dentes deaurare, & puerperarum vice viri in lecto decumbere

dicuntur; Huc pertinet desertum Lop, ubi phantasmata screatu suo viatores sæpè seducunt. (4) Magni Chami Imperium. Præcipuæ ejus provinciæ (1) Cataia, regio, ut ajunt, beatissima Metropolis Cambalu, regia sedes, ambitu 25. mill. Germ. comprehendere dicitur, freqventissimum Emporium, qvippe nec dies abit, qvo non mille currus serico onerati eò vehantur. Magnus Dux stipatores alit 12000. (2) Tangut, hîc ars Typographica ante mille annos inventa fuisse fertur, etiam telæ hîc genus è tenuissimis terræ fibris texitur, qvod in ignem conjectum non comburitur. (3) Tenduc, ubi qvondam regnavit Uncanus, Rex Christianus, vulgò dictus Presbyter Johannes, qvod nominis posteà per errorem Regi Abassinorum in Africa inditum est. (4) Tainfu nobilissima armorum inter Tartaros officina. (5) Tartaria vetus complexa Regiones, qvarum nec nomina nota, Ung & Mongul nonnullis in sacris videntur denotari nominibus Gog & Magog.

§.10. Tartari feri, de qvibus Sidonius:

- - - - - - - jacet axe sub ursæ
Gens, animis membrisqve minax, ita vultibus ipsis

Infan-

Infantum suus horror inest.
Eqvorum sangvinem lacte mistum bibunt, jus in armis ipsis, lex in viribus, domorum vice plaustra, qvotidie exclamant: *Iahi illo illoth, non est Deus, nisi unus.* Solâ barbâ horridi, cæterà rasi, exceptis Tartaris qvos Kalmukos i. e. crinitos vocant. Cœlum intemperatum, æstate calor maximus, ac proinde horrenda tonitrua, hyeme frigus intentissimum. Sacerdos summus Seyd, Imperator Cham. Populo nomen â Tartar fl. In Regno Astrachan crescit herba, qvam Boranez vocant, agni figura, qvem pedibus, ungulis, capite repræsentat, trium pedum altitudine, dulcore admirabili est, vicinis herbis absumtis tabescit, â lupis etiam appetitur. Vid. sæpiùs allegat. Itin. C. Olearii.

DECAS XXIX.

§. I.

CHina, vulgò rectiùs scribitur Sina, qvasi orbis in magno orbe singularis, ab Occasu limites habet Damasios montes. A septentrione montem Ottorocoram, interqve crepidines ejus murum 400. mill. Germ. adversus Tartarorum irruptiones exstructum. Ab Ortu Eoum mare. A Meridie Oceanum cum Indiæ Regno Si-

an.

an. Latitudo maxima est 300. mill. Longitudo 600.

§. 2. Sina in complures provincias, qvas Præfecturas vocant, distribuitur. Urbes probè munitas habet 240. in qvibus minores tria amplius milliaria circuitu amplecti dicuntur. Regia Peking muris cincta, qvorum ea latitudo, ut facilè eqvos duodenos currentes capere possint sine ullo impedimento, olim Regia fuit Nanking. Qvinsai urbis, ut Marcus Polus Venetus eam describit, vastissimæ, recentiores non meminerunt. Fluvii nobiliores, Croceus, à colore luteo sic dictus, & Kiang, qvem maris filium vocant. Hujus seculi anno 42. Tartari Sinam, universam occupârunt, hodièqve durissimæ jugo servitutis oppressam tenent. Vid. Appendix Historiæ Sinicæ Nihofii.

§. 3. Incolæ ingeniosi, at idololatræ, characteribus literarum loco utuntur. Cungfutii Philosophi nomen plurimum jactant, maritimis tamen locis per Jesuitas Christi nomen innotuit. Plura de Sinensium potentia, moribus, cultu idololatrico, lectione, scriptione, item de ædificiorum splendore, de soli ubertate, frugum fructuumqve abundantia cognoscere si

qvis

qvis velit, legat Legationem Batav. ad Magnum Chamum Tartariæ & Sinæ, item Artificia & Admiranda Sinæ & Europæ, impr. Francof. 1655.

§. 4. Coréa Sinæ adjacet Peninſula, vel inſula, ut alii ſcribunt, Japan, Inſula ditiſſima, cujus Rex aliqvoties centena millia militum educit. Inſulanos Luſitani Chriſtianam fidem docuerant ſucceſſu non infelici, at hoc ſeculo planè ea oppreſſa eſt, tantoqve Japanenſes odio Chriſtianorum ardent, ut neqve in exteris Chriſti nomen ferant. De Japanenſium moribus, & inaudita pæne crudelitate, qvâ Chriſtianam Religionem ivére extirpatum vid. Fr. Carons Japan & Siam. Formoſa, cujus partem Hollandi tenent. Incolæ mortuos arefaciunt & domi ſervant, ut & hoſtium brachia; nuper anno 1662. Sinenſes Selandia caſtro munitiſſimo in Tyawan inſ. expugnato, Hollandis ejectis, Formoſam ſub ſuam redegére poteſtatem. Vid. jam laud. Caron. Hainan Inſula incolis urbibusqve multis exculta.

§. 5. India gemmarum, aromatum, auri argentiqve ferax, ab Indo fl. nomen tulit. Longitudo ſumma 600. mill. Germ. Latitudo 450. Dividitur in Indiam intrà

Gangem, qvæ Indoſtan, & extrà Gangem, qvæ Mangi dicitur.

§. 6. Indorum Philoſophi Brachmanes vel Brachmani, ſoliti voluntariâ morte vitam finire; exemplo eſt Calanus apud Plutarchum in vitâ Alexandri, qvi ardenti rogo ſe immittit, ſicut & Uxorum qvæ chariſſima eſt, marito in ignem impoſito, ſe comitem addit, cujus rei ipſe Nobilis â Mandelsloh ſpectator fuit, vid. Itiner. ejus Editore Ad. Oleario. Gangaridæ Bengalam incoluerunt, qvorum Regem Porum Alexander vicit. Nunc tres in Indiâ ſectæ: Brachmanes, Sacerdotes, & ſanctioris vitæ ſectatores. Rasbutæ, latrociniis aſſveti. Benjani, qvi artes manuarias exercent, & animatum qvicqvam interimere grande nefas ducunt, cùm animas hominum è corporibus in morte exeuntes, in pecora demigrare exiſtiment, hinc nec culicem, nec pulicem, ut dixi, necant, veriti, ne qvem majorum aut propinqvorum interimant. Proceres Mahumetanæ ſuperſtitioni ſubſcribunt, cæteri & DEUM colunt, ut commodet, & Diabolum ſub horrendâ ſpecie, Pagodi nomine, adorant, ne noceat.

§. 7. Urbium olim qvinqve millia fuiſſe ferunt, & in his Principem Nyſam,

Bacchi

Bacchi natalem, ad confluentes Indi & Hypaſis; poſt Alexandri tempora Indi ſuis uſi regibus fidem, ut ajunt, edocti â S. Thomâ, noſtrisqve terris ignoti fuerunt, dum Gvaſco Gama Portugallenſis, Anno 1497. ſuperato bonæ ſpei promontorio, oram maritimam Indiæ perluſtravit, qvod exemplum alii feliciter ſecuti ſunt, hodièqve ſeqvuntur.

§. 8. Fluvius Indus in Parapanniſo monte ortus, recipit Hydaſpen & Hypaſin, qvi iter Alexandri M. terminavit, ſeptemqve oſtiis in mare ſe exonerat. (circa hunc ſerpentes bicipites naſci dicuntur) Ganges gemmifer, & auri fœcundus, cujus latitudo maxima qvinqve, minima duorum milliarium Germanicorum eſt. Ovid:

Dum tepidus Ganges, frigidus Iſter erit.

In ſacris Phiſon eſt, aqvam ejus ſanctam habent accolæ, qvâ & ſcelerum ſordes abluirentur.

§. 9. Regum Indiæ ditiſſimus Magnus Mogor vel Mogul, cujus Regia Agra, qvam ſolido die vix obeqvites. In eâ turris theſauraria aureis intecta laminis, ſacella in eâ octo, theſauris, auro, gemmis,

mis, margaritis oppleta, thesaurus hîc æstimatur 1500000000. imperialium millibus, anderthalb tausend Millionen. Lahor, qvo Rex concedit solis ardorem fugiens. Ei subest Regnum Cambaia, ab urbe Cambaia sic dictum, qvæ ob magnitudinem Cairus Indiæ dicitur. Goa â Lusitanis incolitur, egregiè munita & magnificè ornata, Regni qvasi clavis. Dio, castellum munitum. Surratta portu nobilis, huc Regna referes Coromandel: Narsinga, Bisnagar, Malabaria, optimi piperis feracissima, Calicut, Cochin, Orixa, cujus Rex tributarius est magni Mogolis, ad promontorium usqve Comori. Partem Barbari tenent, partem maritimam Lusitani, qvibus nuper anno 1663. Czangano, Cochin, aliaqve emporia nobilissima ab Hollandis erepta sunt. Bengala, Regnum & urbs omnium rerum copiâ affluens, ab eâ sinus Gangeticus dictus, Golfo de Bengala; In hac regione nascitur Rhinoceros.

§. 10. Pegu, Regnum & urbs suo sub Rege. Siam cum metropoli Siam, nunc Regia est India vel Odia ad Menam fl. in qvâ turrium templorumqve fastigia auro refulgent. Malacca in Chersoneso aurea,

qvot

qvot hîc urbes, tot Reguli. Camboia mercaturâ celebris. Borealem Indiæ partem Tartari occupârunt, eorum Rex magnus Mogul, qvo de dictum.

DECAS XXX.

§. 1.

INſularum Indiæ adjacentium numerus pænè innumerus. Sumatra ſub Æqvatore in plura Regna dividitur, incolas alit 200000. montem habet ignivomum. Borneo, magnitudine Hiſpaniam adæqvans, ubi piperis multa negotiatio.

§. 2. Java major, qvæ inſula an ſit, an continens dubitatur, piperis ingentem ferens copiam. Duo in eâ Regna, Banton Emporium iis in locis celeberrimum ob portus commoditatem, cujus Regi ſexcentæ miniſtrant mulieres, & Matran. Batavi hîc Bataviam colunt munitiſſimam, qvæ olim Jaccatra dicta eſt, in ea ſerpentes oves & infantes deglutiunt; porci ſetis carent. Vicina huic ortum verſus Java minor.

§. 3. Cebbes, cujus incolæ antehàc ἀνθρωποφάγοι, inter hanc & Gilolo Moluccæ, parvæ qvidem, at aromatum, præcipuè Cariophyllorum feraciſſimæ Inſulæ

læ. In his reperitur avis Manucodiata, der Paradieß Vogel/ pennarum elegantiâ nota. Incolæ, præter eos, qvi Mahometica sectantur deliria, solem & lunam adorant. Ternate, Tidor præcipuæ sunt Moluccarum. Item Celebes inter & Borneo Macassar, insulæ & Emporii nomen â Lusitanis, Anglis & Hollandis freqventati, qvi postremi eandem nuper in suam redegére potestatem.

§. 4. Banda, qvam Hollandi tenent, nuces myristicas ingenti fert copiâ, â qvibus & avium certum genus nomen tulit. Philippinæ, qvæ & Manillæ, Hispano subjectæ, primaria est Luzonia auro dives. it. Mindanao.

§. 5. Ceilon, priscis Taprobana, beatissima auro, argento, frugibus Insula, unde pars Paradisi ab incolis perhibetur, etiam Adamum hîc sepultum credunt. Olearius hanc Ophir in sacris dici putat. Cinnamomi ingens hîc copia. Lusitani urbem munierunt. Colombo, Hollandi Punte de Galle, circuitus insulæ

est

eſt 250. mill. Germ. Hollandi à Rege Candi (Candi ethnici Regis ſedes regia eſt) adverſus Portugalenſes in ſubſidium vocati, his & Colombo & Negumbo extorſerunt, imò oppreſſis Portugallenſibus totam hodiè inſulam, præter mediterranea loca, qvæ Rex Candi tenet, tenere dicuntur. Præterea promontorio Comorin mille amplius inſulæ oppoſitæ dicuntur Maldivæ, qvarum aliæ habitantur, aliæ ſunt vacuæ, Præcipua eſt Maldiva. I. de las Velas ſeu de Ladrones à Magellano primùm ſic appellatæ.

§. 6. Perſarum Regnum latiſſimè olim patuit, nunc clauditur, à Septentrione Hyrcano mari, Oxo fl. Caucaſo monte. Ab Oriente Indo. A meridie mari ac ſinu Perſico. Ab Occaſu Euphrate, Tigri, Niphaticis jugis, Araxe flumine. Longitudo eſt 460. mill. Germ. Latitudo 370.

§. 7. Regiones illuſtres (1) Gedroſia

oppidum

oppidum & fluvius Arabis. (2) Carmania, nunc Kirman, cujus pars Ormuz, Regni, Insulæ, Urbis nomen, qvam Lusitani occupârunt Anno 1608. iisqve pulsis Angli Anno 1622. castellum expugnatum Persarum Regi tradiderunt. Emporium gemmis, unionibus, aromatibus celebre. (3) Arachosia, nunc Candahor, Mogoris Imperio finitima, unde Persarum Rex cum Mogore de hac bello solet contendere, uti cum Turcis de Babylonia seu Bagdad (Bagdad hanc cum Babylonia antiqva vulgò confundunt, at hæc ad Euphratem posita erat, illa nempe Bagdad, ad Tigrim sita. (4) Bactriana, nunc Korasan, olim Regnum Zoroastris. Bactra sub Paropamiso monte, caput Regni. Desertum hîc arenosum, in qvo venti totos arenarum cumulos convehunt & viatores sæpè obruunt, qvi hos campos nocte transeunt, navigantium more sidera observant, ad qvorum cursum iter dirigunt. (5) Hyrcania nunc Kilan opp. Hyrcana, unde mare Hyrcanum & tigres Hyrcanæ dictæ. Incolæ olim canes publicè alebant, qvibus mortuos objiciebant devorandos. (6) Parthia, nunc Erak, urbs Hecatompylus, nunc Ispahan, Regia sedes. Parthi, æterni

ai Romani nominis hostes, Sen: *Terga fallacis metuenda Parthi.* (7) Persia, nunc Farsi. Caput Persepolis, qvam Alexander, vino gravis, meretriculæ Thaidis impulsu accendit, Schiras eo hodiè loco sita est. (8) Susiana opp. Susa, ubi ob amœniorem cœli plagam Reges hyberna habuerunt, ut æstiva in urbe Ecbatana; per autumnum Persepoli habitârunt, reliqva anni parte Babylone. Fluvii Eulæus, qvi in sacris Ullai & Choaspes, Regibus charus. (9) Assyria. Urbs Ninive ex sacris nota, nunc Mosul. Hæc pars Assyriæ vocatur alias Mesopotamia h Diarbek, eiusqve Urbes Mosul & Bagdad. (10) Media nunc Schirwan, incolæ qvondam Caspii, à qvibus nomen habent Caspiæ Pylæ vel portæ, ex Plinio notæ. Urbium Princeps Ecbatana nunc Tauris, Schamachi, olim Cyropolis, Derbent in finibus Persici Imperii. Ardebil, Casbin, qvæ ad Parthiam rectiùs refertur. Fluvii Araxes, Cyrus nunc Kur, Cambyses.

§. 8. Primariæ urbes nunc sunt Ispahan, qvam Persæ ob magnitudinem dimidiam orbis partem dicunt, Siras, Tauris, Ardebil, Regum sepulchris clara, Cassan, vel Kaschâ Candahor.

§. 9. Per-

§. 9 Persarum Regnum â Turcis misere divexatum est, donec innotescere cœpit A. C. 1350. qvidam Regulus, nomine *S*ophus, seu *S*ephy ad Haly originem referens, â qvo descendit Ismaël Sophus, qvi post longa temporum spatia Persarum Imperium â Turcis ad indigenas retulit Anno 1499. cujus etiamnum posteri regnant. Qvod ad Religionem, & Turcæ & Persæ Mahumetem Prophetam venerantur, & Alcoranum legunt; at Pseudoprophetæ huic mortuo Turcæ ajunt successisse in Caliphatu Omar *S*occrum, Persæ Haly Generum, & hic unus in pretio apud Persas, unde in sigillo Regis legitur scriptum Gott / Mahomet und Haly. Persæ Turcis infensissimi, invisissimi.

§. 10. Persarum gens, ut olim, ita hodieqve luxuriæ ac voluptatibus addicta. Hor. od. 38. l. 1. Carm. *Persicos odi apparatûs.* Græcis Rex *βασιλεὺς μέγας* dictus. Regem subditi pæne Numinis loco habent, ejusqve cum Principe vulgus obseqventissimo animo imperia exseqvitur. De Persarum regionibus, regimine, religione, moribus, vid. Itinerarium Cl. Ad. Olearii.

DECAS

DECAS XXXI.

§. 1.

QUod reliqvum terrarum est in Asiâ, maximam partem sub jugo Turcarum ist. Inter Caspium & Euxinum Mare egiones sunt: Albania, Iberia, Colchis. Albania molossis celebris, Urbs Tiflis, Georgianorum Principis sedes, nonnulli uc referunt Schamachi & Derbent ad ortas Caspias; vicinum huic Desertum Nagaicum vastissimum. Iberia venenorum rax, sedes hîc Georgianorum, qvi Græcam fidem profitentur, eorum Metropolita habitat in monte Sinai, in Monaerio S. Catharinæ, Persæ nunc parent. Colchis aureo vellere olim clara, nunc Mengrelia. Phasis fluvii & Urbis nomen, ia Dioscurias trecentarum, teste Plinio, ationum domicilium. Montes Corax Caucasus altissimus, perpetuis rigens vibus; Colonos hodie habet impios & udeles.

§. 2. Armenia Euphrate fl. dividitur Majorem & Minorem, illius pars Turmannia. Moschicis montibus â Colchi separatur, Tauro â Mesopotamia, Anti urus mediam secat, in qvo fontes Euphratis

tis & Tigris, Mons hîc Gordiæus, in qvo Arca Noe consedisse dicitur. Urbs Artaxata, nunc Eschia. Tigranocerta à Tigrane R. qvem Pompejus M. vicit, sic dicta, hodiè Sulthania ab Oleario descripta. Armeni optimi Mercatores. Minor Euphrate fl. Amano & Scordisco montibus inclusa. Vrbes Satala, Nicopolis; Melas fluvius.

§. 3. Terrarum sinus inter Ponticum & Cyprium maria, Natolia dicitur, ejus Regiones (1) Cappadocia, urbes Trapezus, Amasia, Strabonis patria, Turcici Satrapæ sedes, Iconium, Lycaoniæ caput, Lystra ex actis nota, Neocæsarea, Nazianzum. Fluvii Iris & Thermodoon. Sedes hîc Amazonum, qvarum Regina fuit Penthesiléa, veterum vel opinione, vel errore, (2) Galatia & Gallogræcia, â Gallis huc transgressis, sic dicta. Ejus pars Paphlagonia, in qvâ Heneti, unde Veneti in Italia. Isauria, in qva Isaura, seu Claudiopolis, Ancyra, Sinópe Mithridatis Regia & Diogenis patria, Pessinus, ubi religiose culta Cybele, DEûm Mater, inde dicta Pessinuntia, ut & Didymene à Didymo monte. Populi hîc Chalybes, Parthenius & Halys fluvii. Montes: Didymus

Didymus & Cælenorum tumulus. (3) Pontus & Bithynia. Urbes Heracléa, Prusias, sedes olim Regia: Chalcedon Constantinopoli adversa, nunc Galata, â solis ferè Christianis habitata. Nicomedia, Nicéa, Synodo Oecumenicà celebris, contra Arium imperante Constantino M. seculo qvarto habita.

§. 4, Reliqva pars Nacolii, Asiæ minoris nomine venit, cujus Regiones sunt (1) Phrygia duplex, Major & Minor, qvæ & Troas. Majoris urbes Synnada, Apamia, Gordium, unde *nodus Gordius*. Fluvii Mæander, sexcentas faciens flexiones, unde *gyri Mæandri* in proverbium abierunt, & Marsyas, â Marsia tibicine, qvem ob arrogantiam Apollo excoriavit. Mons Cadmus. Minoris caput olim Ilium vel Troja, Græcis eversa, ut vulgò fertur, qvod negat Dion Chrisostomus in Orat. de Ilio non capto. Alexandria, Sigæum opp. & promontorium, Achillis hîc sepulchrum. Vicina Insula in Hellesponto Tenedos. Scamandrus, Xanthus, Simois, fluviorum nomina è Poetis nota, mons Ida. Prov. *Porcus Trojanus*, *Eqvus Trojanus*. *Phryx non, nisi plagis, corrigitur vel emendatur. Serò sapiunt Phryges.*

Phryges tamen fuére Æſopus Mythographus & Epictetus. (2) Myſia duplex: Major & Minor. Majoris urbes: Antandrus & Pergamus, Attali Regia & Galeni Patria, ubi charta pergamena inventa. Fluvius Rhyndacus, immanes alens ſerpentes. Mons Olympus, Minoris opp. Cyzicum, urbs antiqva, Lampſácum, Abydus, Dardanium, ubi hodiè arx Dardanello. Simois fl. Ida mons huc ab aliis refertur, idæ cacumen Gargarus, à fertilitate commendatum. Virg. in Georg. *ſuas mirantur Gargara meſſes.* (3) Lydia, cujus pars Mæonia, â qvâ Homerus Mæonides, Urbes: Sardes, Thyatira, Philadelphia, Fluvii Caycus, Hermus, Pactólum auriferum recipiens, Caiſtrus. Montes Sipylus, Tmolus, croci ferax. Lydi fuiſſe feruntur molles & effæminati (4) Caria. Urbes: Magneſia, Priene, Biantis patria, Laodicea, in littore Milétus, Urbs dives at luxurioſa, Thaletis Patria. Fluvii: Mæander mirè tortuoſus, & Lycus. Montes: Mycale, Phœnix, Latmus, Eudymionis ſomno celebratus (5) Æolis, Urbs Cuma, cujus incolæ inſulſi & ſtupidi: Phocæa, Athenienſium Colonia, Parens Maſſiliæ in Gallia (6) Jonia, Urbes: Smyrna, cujus Epiſcopus

pus fuit Polycarpus, *S.* Johannis diſcipulus, Hæc Philoſtrato Urbium, ſub ſole qvæ ſunt, pulcherrima, hodie mercaturâ celeberrima. Clazomenæ, Anaxagoræ patria, qvi nivem nigram eſſe dixit. Teos Anacreontis P. natalibus inſignis. Colophon arte eqveſtri celebris, conf. prov. *Colophonem addere.* Colophoni vicinus fuit Lucus Apollinis Clarii. Epheſus, cujus Eccleſiæ S. Johannes Evangeliſta præfuit, viſebatur hîc templum Dianæ Epheſinæ magnificentiſſimum, ab Heroſtrato, ut nominis ſui memoriam extenderet, incenſum. In eo fuit Hecates ſtatua, cujus marmoris ea radiatio fuit, ut ingreſſurus templum oculis parcere juberetur. (7) Doris. Urbes: Halicarnaſſus, patria Herodoti, Hiſtorici celeberrimi, & Cnidus, Regina Cnidi Venus apud Hor. Atqve hæ fuére Regiones Aſiæ Minoris.

§. 5. Lycia, cujus urbes, Telmesſus, Patara, à qva Apollo Pataræus dicitur. Xanthus fl. Chimæra, mons ignivomus, triforme monſtrum. Poëta: *Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Chimæra.* Bellerophon. Chimæram occidiſſe fertur. Meretricem Horatius non ineprè Chimæram appellat. od. 27. l. 1. Carm.

§. 6. Pamphylia, Urbs Side, Seleucia Pisidiæ, Perga Phaselis pyraticâ infamis, hinc phaselus, certum navigii genus, qvo hi piratæ utebantur. Taurus mons maximus, Asiam dividens in Asiam intra & extra Taurum.

§. 7. Cicilia, cujus urbes Tarsus, S. Pauli natalibus & studiis clara, Isius, ad qvam Darius victus ab Alexandro, sinui vicino nomen dedit. Coricus, cui vicinus specus Coricius. Soli vel Solæ, cujus incolæ Græci, paulatim patriæ lingvæ obliti inter barbaros cœperunt σολοικίζειν, id est, barbarè loqvi. Fluvii Calycadnus, Cydnus, qvi penè exitialis fuit Alexandro M. Pyramus &c. Cilicia hodiè vocatur Carmania.

§. 8. Syria, cujus termini sunt Amanus mons, Euphrates, Arabia deserta, Petræa, & mare Syriacum, dividitur in Palæstinam Phænicen Antiochenen, Comagenen, & Cœlen.

§. 9. Palæstina. qvæ & dicta terra Chanaan à Chanaan, filio Cham, nepote Nochi pòst à Judæis DEI mandato occupata, Judæa appellata est. Regiones ejus qvatuor (1) Idumæa, altis asperisqve cincta montibus, gens ferox & bellicosa, Judæis

dæis infenſa, inviſaqve, qvanqvam eâdem ſtirpe oriunda. Urbes: Gaza ſæpius everſa & reſtituta, hodiè duplo major Hieroſolymâ, Samſonis captivitate nobilis. Gerara ad Beſor torrentem, ubi Iſaac natus. Berſaba & deſertum Berſebee, qvo fuit Hagar. Hic Juniperus Eliæ. Sihor torrens Ægypti, & deſertum arenoſum, iter facientibus periculoſum, qvod iter Maria virgo cum Jeſulo Herodem fugiens, emenſa eſt. Kaphia. Rhinocorura opp. habitatum ab his, qvi truncatis erant naribus. Idumæi loca mediterranea tenuerunt. Philiſtæi & Palæſtini, â qvibus Palæſtina dicta eſt, oram maritimam, in qvâ urbes Geth, patria Goliathi, Gaza Enakim ſeu Gigantum ſedes, Accaron, ubi idolum erat Baalſebub, Azotus, Aſcalon.

§. 10. Judæa, cujus caput Hieroſolyma, qvæ & Solyma, ex ſacris notiſſima. Qvatuor in eâ montes celebres (1) Moria, in qvo templum â Salomone exſtructum magnificentiſſimè, everſum â Nabuchodonoſore, inſtauratum â Judæis poſt 70. annos â priſtino ſplendore multum abfuit. Herodes M. in gratiam populi hoc Templum demolitus multò ſplendidius è fundamento excitavit. Templum incluſum

erat triplici ambitu. In extimum alienigenis ingredi fas erat, unde atrium gentium vocabatut. In altero Judæi utriusqve sexûs adorabant. Tertium, qvi templo erat contiguus, tenebant Sacerdotes, in eo altare, in qvo fiebant suffitûs. Intimum templi recessum vocabant Sancta Sanctorum, ubi servabatur arca fæderis, in qvâ repositæ erant tabulæ Mosis, Vasculum mannæ, Virga Aaronis. Arca hæc in templo restaurato non fuit. (2) Mons Sion, qvæ & civitas David, arce & sepulchro ejus nobilis. Vicina huic piscina Siloah. (3) Mons Acra, Procerum palatiis illustris. Hîc piscina probatica seu Bethesda, cujus aqva ab Angelo mota morbos sanabat. (4) Bezetha, qvam partem urbis incolebant artifices & reliqvum vulgus. Extrà urbem erat mons Calvariæ seu Golgatha, ut & Mons oliveti. Hæc urbs â Tito Vespasiano diruta est. Ab Ælio Adriano, mutatâ loci regione restituta, Ælia Capitolina dicta est, Turcis Gutz; Bethlehem, natalibus Jesu clarissima. Emmaus, Liddo, Joppe, ubi Petrus Tabitham defunctam in vitam revocavit. Azotus seu Asdod, in qvâ Idolum Dagon cum piscis capite. Ascalon â qva Herodes Ascalonita. Hie-

richus,

ichus, urbs rosis generosissimis & palmis bundans, unde urbs Palmarum dicta, feax balsami, qvod ferè solius hujus ager oim gignebat, mirabili fragrantiâ: Macheûs arx secunda ab Hierosolymis in Judæa Peræa sita. In eâ Johannes Bapt. captus æsusqve. Jordanes fl. in Libano oritur, eusqve fontes sunt Jor & Dan, Asphaltiten acum, qvi & mare mortuum dicitur, Sodomæ & Gomorræ regna occupans, imore sulphureo deleta petit, primùm lacum acit Samochoniten, hinc mare transit Geezareth seu Tiberiadis, in qvo Christus mbulavit. Samaria, Regio media inter udæam & Galilæam. Caput Samaria, Regum Israëliticorum sedes, dum populo, Salmanassare Rege Assyriorum abducto, gens Persica Chutæi has terras occupârunt. Bethel & Dan, mons vicini, in qvibus aureos vitulos Jerobeam constituit adorandos.

DECAS XXXII.

§. 1.

GAlilæa duplex: Inferior & superior sive Gentium. Inferioris Urbes Turris Stratonis seu Cæsarea Palæstinæ ad lacum Genezareth, Capernaum, cui op-

poſita Chorazin, Bethſaida, Tiberias, Nazareth, beatæ Mariæ domicilium, Cana Galilææ, qvæ nomina haud ignota ſacras volventi Literas.

§. 2. Galilæa Gentium pars eſt Phœnicces, qvæ Regio erat inter Eleutherum & Cherſeum fluvios. Urbes Ptolomais, Tyrus, Parens Carthaginis, de qva Poëta: *primaratem ventis credere docta Tyrus.* Sarepta, Eliâ hoſpite clara. Sidon vitri artifex, Tripolis, in cujus agro aliqvando viſus eſt ſerpens jugeri longitudine. Libanus cedris aliisqve arboribus decorus, thuris abundans, & àdverſus Antilibanus. Aliâs montes in totâ Palæſtina celebres: Carmelus, Thabor, Hermon, Hermonim, Gilboa, Montana Ephraim, Judææ.

§. 3. Antiochene vel Tetrapolis, à clariſſimis qvatuor civitatibus: Antiochia, Apamia, Seleucia, Laodicea. Antiochiæ primum Fideles dicti Chriſtiani.

§. 4. Comagene, urbs Samoſata, patria Luciani.

§. 5. Cæleſyria, cujus partes (1) Decapolis, Regio à 10. Urbium numero ſic dicta, earum Princeps Damaſcus, in cujus agro primos ferunt Parentes creatos, Abelum occiſum; ab eâ etiam panni qvidam

ſerici

ſerici dicuntur Damaſceni. Fluvius hanc
lluit Chryſorrhoas. Philadelphia, olim
Rabba, ad torrentem Jaboc Gigantum ſe-
des, qvam tenuit Ogus, Rex Baſan (2)
Tetrachiæ 17. qvarum præcipuæ Tracho-
nitis, ſeu terra Gigantum, in qvâ Geſſur,
Abſolonis fugâ nota, & Panéas, in qvâ
Cæſarea Philippi, in ſacris Lus (3) Palmy-
rene, Palmyra, urbs potens ac libera, olim
Regina ejus Zenobia doctiſſima ab Aure-
lio Imperatore in triumpho ducta eſt. In
reliqvâ Cœleſyria Chalybon, nunc Alepo,
urbs ampla, Præfecti Turcici ſedes. Zeug-
ma in Euphratis ripâ, cui oppoſita Apamia,
Satrapæ ſedes.

§. 6. Meſopotamia qvaſi μέση τῶν πο-
ταμῶν. Urbes Edeſſa, Hebræis Reges,
Seleucia magna, Cartæ, Hebræis Haran,
unde Abraham egreſſus Sichem conceſſit.
Aurum hîc bibit Craſſus; Poëta:

- - - - miſerando funere Craſſus
Aſſirias Latio maculavis ſangvine
Carras.

Duo hîc Fluvii, Tigris, accolis Tigil qvi,
Tauro monte occurrente, ſpecu mergitur,
ſubterqve lapſus â latere altero erumpit, &
Euphrates nunc Frat, qvi Nili modo ſtatis
temporibus increſcit, & Meſopotamiam
inundat.

H 5 §. 7.

§. 7, Meſopotamiæ vicina Babylonia: Urbs Babylon, â lingvarum confuſione ſic dicta â Semiramide condita, muro cincta latiſſimo, in eâ erant horti penſiles, in circuitu eam plus, qvàm 12, mill. Germanic. complexam eſſe ſcribunt. Hodiè in ruinis jacet, & in vicinia condita Bagdad. Ur in Chaldæa, qvæ pars Babyloniæ, Patria Abrahami. Teredon Satrapæ ſedes.

§. 8. Arabia diviſa in Petræam, Deſertam, Felicem: Petræa, majore ſui parte, ſterilis eſt & arenoſa, etiam latronibus infeſta, inqve ejus deſertis Iſraëlitæ 40. annos exulârunt. Princeps urbs Petra, Regum ſedes. Populi Nabatæi, qvi mortuos in ſterqviliniis defoderunt. Mons Caſius, cui vicinum ſepulchrum Pompeji.

§. 9. Deſerta Arabia plana, at ſterilis. Populi Nomades & Scenitæ, qvia illi mutant paſcua, hi ſub tentoriis degunt. Mela hîc etiam ponit Ophiophágos.

§. 10. Felix reliqvis partibus major & cultior, cinnamomi & thuris feraciſſima. Populi priùs dicti Agareni, pòſt Saraceni, cûm ab uxore mallent, qvàm ab ancillâ Abrahami denominari, vel potiùs â Saraca regione qvadam Arabiæ. Minæi, Sabæi, qvorum oppidum Saba. Hodiè celebris

lebris

lebris Medina Talnabi Mahumetis ſepulchro, Mecca natalibus nota. Aden Urbs & Regnum potens. Duæ prætereà Inſulæ ſub Turcicum devolutæ jugum, Rhodus & Cyprus. Rhodi ambitus eſt 30. mill. Germ. Cœli ſoliqve benignitate felix, unde Pindaro Veneris filia Solisqve ſponſa dicta. Urbes: Rhodus ſtudiis clariſſima. Lindus, Camirus. Erat in eâ Coloſſus 70. cubitorum altitudinis, cujus digiti majores erant, qvàm pleræqve ſtatuæ, hinc incolæ Coloſſenſes appellati. Eqvites Joannitæ eam tenuerunt, qvibus à Solymanno II. Anno 1522. pulſis Melitam conceſſit habitandam Carolus V. Imper. Cyprus in Iſſico ſita ſinu, Macaria priſcis, ob cœli clementiam ſoliqve fertilitatem. Incolæ libidinoſi, hinc Veneri ſacra, qvæ Cypris inde dicta. Longitudo 40. mill. Germ. Latitudo 15. Hîc medio in igne beſtiolæ naſcuntur pennatæ, muſcis grandiores, qvæ ab igne remotæ moriuntur. Urbium olim primæ Paphos, & Salamis, nunc Nicoſia & Famaguſta. Mons Olympus & nemus Idalium, unde Cupido puer Idalius. Venetis hæc erepta Anno 1570. Atqve hanc Aſiæ partem

tem Turcæ tenent, qvorum Imperium cœpit anno 1300. Ottomanno, Tartaro milite, Conditore, qvi Mahumedis Pſeudoprophetæ (Mechæ ille natus, Medinæ ſepultus, imperante Heraclio, anno 622. floruit) deliria cum Succeſſoribus tuetur, & gravis & acer hoſtis Chriſtiani nominis.

AFRICA

DECAS XXXIII.

§. 1.

AFrica, qvæ & Libya, peninſula, exiguo Iſthmo Aſiæ annexa, magis vaſta qvàm freqvens eſt, Longitudo maxima à Freto Herculis ad Prom. Conæ ſpei 700. mill. Germ. Latitudo ab Heſperie promontorio ad Aromáta juxtá fauces ſinús Arabici 550 ab Afro Herculis filio ſic dicta vel ab α privat: & Φρίκη frigus, qvia frigore caret, Zonæ torridæ partem complexa maximam.

§. 2. Ægyptus diviſa in Superiorem & Inferiorem. Superiorem Nilus dividebat in Lybicam, qvâ Orientem ſpectat. Inferioris pars eſt Marmarica Regio.

§. 3.

§. 3. Urbes olim numeravit 20000. Prima Alexandria, Scholâ, Bibliothecâ, Conditoris ſepulchro, Serapidis templo ſumtuoſiſſimo, illuſtrium Virorum natalibus clara; Pharos ei adjacebat Inſula, cum turri, de qvâ nocturni ignes navigantibus prælucebant. Thebæ Hecatompylæ, montibus cinctæ, unde Eremitarum hîc manſio. Memphis, qvæ nunc putatur Cairus vel Alcair, qvinqvies major Lutetiâ. Templa habet 22000; Arx Lipſiæ par magnitudine, Satropæ hodiè & Patriarchæ ſedes. E regione hujus Regum permiſſu Chaldæi qvidam arcem Babylonem exſtruxerunt. Juxtâ Cairum Pyramides, altiſſimæ turres Regum ſepulchra. it. Materéa hortus, balſami veri ferax. Syene, limes Imperii olim Romani, hodiè Turcici. Tentyris, circa qvam habitarunt Tentyræi, Crocodilo imperantes. Arſinöe, cui vicinus Labyrinthus, mille domos & Regias duodecim complexus, marmore exſtructus, unum deſcenſum habens, intùs vias innumeras. Abydus. Memnonis Regia Heliopolis, templo Solis inſignis. Qvæ Regio inter Cairum, Roſettam, ubi Veneti Conſulem habent, & Damiatum ſ. Peluſium

jacet, Delta à figura vocatur. Fluvius Nilus, cui multum debet Ægyptus. Lucanus:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Iovis, in solo tanta est fiducia Nilo.

Ortus ille in Lunæ montibus, transiens per lacum Zaire & Zembre, Insulas facit innumeras, qvarum Meröe maxima, cùmqve Regio pluvias nesciat, Nilus, post æstivale solstitium auctus, Ægyptum rigat, terrisqve fœcundus innatat, septemqve ostiis, qvorum præcipua Canopicum & Pelusiacum, Mare internum irrumpit. Mœris, lacus profundissimus hic visitur.

§. 4. Ægypti suis olim paruére Regibus, hinc Persis, Macedonibus, Romanis, posthæc Saraceni eam occupârunt, qvibus successére Sultani, & his oppressis Anno 1516. Turca, Incolæ prisci mortuos arte medicatos intrà penetralia collocabant, feles, Ibides, aves, qvæ venenatas bestiolas ex Arabiâ stato tempore advolantes, excipiunt & deglutiunt, porrum etiam & cæpas adorabant, in primis Apim, qvi bos erat certis maculis insignis. Vid. Juv. Sat. 15. *Qvis nescit, qvalia demens Ægyptus portenta colat?*

§. 5. Cy-

§. 5. Cyrenaica Regio ſeu Pentapolitana, dicta â qvinqve urbibus: Cyrene, Berenice, Arſinöe, Ptolemaïs, Apollonia. Hîc Jovis Ammonis oraculum & templum. Vid. Curtius. Fons Solis de qvo Ovidius:

- - - - Medio tua, corniger Ammon.
Unda die gelida eſt ortuqve obituqve caleſcit.

§. 6. Africa Minor ſeu Propria, qvæ & Libya, regio ſatis fertilis, hodié continens Regnum Tunetanum, Urbes, Carthago, Romæ æmula, â Scipione deleta, â Cæſare reſtaurata, nunc ad vicum redacta: Leptis magna & parva. Vicinæ his Syrtes, Major & Minor; Tunes Urbs ampla, Regia aliqvando ſedes, Utica, Catonis morte nobilitata. Populi Naſamones Pſylli, ſerpentum fuga, adverſus Auſtrum in expeditionem progreſſi, arenis obruti ſunt. Pœni, duce Didone Tyro huc profecti, graves Romanorum hoſtes, perfidiæ notâ infames, unde Punicâ fides pro perfidia uſurpatur. Fluvii: Triton cum palude Tritonide, Cinyphus, Bagradas, ad qvem Regulus ſerpentem 60. cubitorum interfecit.

§. 8. Libya deſerta populi Troglody-

tæ ſic dicti qvia in cavernis degebant. Garamantes opp. Garama, Mons Ater. Serpentes hîc maximi, qvos vocant Dipſades, reperiuntur.

§. 8. Numidia, Maſiniſſæ, Jubæ, Syphacis, Jugurthæ nominibus clara. Urbes Cyrtha Regia. Hippo, nunc Bona, Hipponenſis Epiſcopus Auguſtinus fuit.

§. 9. Mauritania, Malvâ fluvio dividitur in Cæſarienſem & Tingitanam, Illius caput eſt Julia Cæſarea, Tucca, ejus pars Tarenſe Regnum, cujus caput Dara. Hujus Tingi & Lixus, Antæi domus. Atlas minor, Abyla etiam. Huc referunt hortos Heſperidum, qvos alii in Cyrenaica Regione collocant, nunc in eo Regna Feſſanum & Maurocanum R.

§. 10. Gætulia, qvam claudit Atlas major, κιὼν ἐρανῦ, Ægipanum & Satyrorum, ut volunt, ſedes, ejus populi Atlantes ἀνώνυμοι, qvi ſolem Orientem execrari dicuntur, &c. Hic Regio Biledulgerit.

DECAS XXXIV.

§. 1.

ULtrà Atlantem Libya Inferior, nunc Sarra deſertum, Niger fl. cujus accolæ Nigritæ dicuntur, 700. Mill. Germ. ante

te conficit, qvàm mare ſubit, agros, ut Nilus, ſtato tempore fœcundans.

§. 2. Reliqvam Africæ partem tenuére Æthiopes, qvorum varia fuére genera, clariſſimi Nigritæ & Nubii. Qvæ Nilo vicina eſt, vocatur Æthiopia ſub Ægypto, ad Sinum Arabicum Troglodytica, cujus incolas Trogloditas ſerpentum ajunt carnibus vivere. incurabili morbo laborantes, aut ſenio confectos interimere, mortuos ſaxis obruere, ſtridere magis, qvàm loqvi &c. Hîc ponunt nonnulli Pygmæos cum gruibus congredi ſolitos, ut perhibent.

§. 3. Africæ hodiè partem tenet Turca, partem Hiſpanus, partem Setiſus, ut vocant, aliive Reges. Æthiopes non mutârunt ſedes Dominosqve. Regna nunc ſunt (1) Ægyptus, qvam Selymus Turca ſubjugavit Anno 1516. Tria alit animalia, Crocodilum amphibium, qvi ex ovo anſerino ſimilis, natus ad aliqvot ulnas magnitudinis excreſcit; Chamæleontem, colorem mutantem, & Ichneumonem, crocodilo infenſum. Pyramis major exſtructa 340000. hominum millibus annis viginti. (2) Barbaria, ita dicta vel â Barbar, qvod Arabibus eſt murmur, vel â Bar deſertum,

ejus

ejus partes (1) Barcana Regio pænè ſterilis, opp. Barce. (2) Tunetanum Regnum, caput Tunetum, emporium celebre, Tripolis Barbariæ, Bona (3) Tremiſenum, urbs Tremiſen, & in littore Algira, Piraticâ infamis, ſic munita, ut habeatur inexpugnabilis (4) Feſſanum Regnum. Feſſa urbium Africæ potentiſſima, Alchymiſtis referta. Tituan, Tanger, qvam Angli tenent. (5) Maurocanum, Maurocum ſtudiis florens, ſedes Seriffi ſeu Imperatoris.

§. 4. Biledulgerit Regio aliqvot deſerta complexa. Nigritarum Regio plurima deſerta continet à ſingulis Urbibus denominata. Præcipua (1) Tombutu, cujus Rex cenſetur potentiſſimus. (2) Gvinea, auro dives, incolæ luxurioſi, Idololatræ, in ſtupidâ & putidâ barbarie mirificè ſibi placentes. In horum corporibus freqventer naſcuntur vermes longiſſimi, qvi apprehenſi per cutem extrahuntur. Portugallenſes hîc caſtellum Minam extruxerunt, Litus aureum tractus iſte appellatur, qvia in hoc litore aurea reperitur arena. (3) Cubia, cujus incolæ olim Chriſtiani nunc Solem, Lunam, ipſamqve terram adorant.

§. 5. Æthi-

§. 5. Æthiopia, diviſa in Inferiorem
vel Superiorem, qvæ nunc eſt regnum A-
biſſinorum, & Exteriorem ſeu Inferio-
rem, montes Lunæ hanc ab illa ſejungunt,
Rex Abiſſinorum, vulgò Presbyter Johan-
nes, Mauris Elhabaſchi, dicitur, albo co-
lore eſſe fertur, ſub tentoriis degit, latiſſi-
mè imperat. Ad Davidem originem re-
fert, cum Maqveda Regina Arabiæ ex Sa-
lomone ſuſceperit filium, familiæ regiæ,
ut volunt, caput. Incolæ Chriſtiani, ritûs
qvosdam Judaicos retinentes, infantes &
circumcidunt & baptizant, die & Solis
& Saturni feriantur. Amara mons & Arx
munitiſſima, in qva educantur Regis filii.
Mons mortis, de qvo nobiles, mortis
damnati, præcipitantur. Vid. Damia-
nus à Goës de Rebus Æthiopicis, Indiis &c.

§. 9. Æthiopiæ Exterioris Regna (1)
Congi, opp. Civitas S. Salvatoris Regia,
Bamba, Sunda. Zaire lacus & fluvius. Per-
tinet huc Angola Regnum, metallis dives,
mancipia hîc emta in Braſiliam deportan-
tur, eorumqve uſus eſt in parando Saccharo
(2) Monomotapa, caput Regni Mono-
motapa, ad fluvium Spiritûs S. (3) Zangi-
bar, ubi Cafares populi verè feri & bar-
bari. Mozambiqve, in Inſula condita, cele-
berrimum

berrimum emporium. Qviloa, cujus Rex Regi Portugalliæ tributum pendit. Mombaza, cujus Rex Christianis infensus. Ad mare rubrum Ajan Regio, Del, Magaduzzo, maritimis locis Portugallenses dominantur.

§. 7. Insularum ad Africam maxima, Madagascar sive S. Laurentii, inter qvam & Africam Baixos de India, sive Syrtes Judaicæ, naufragiis infames, incolæ Barbari.

§, 8. Contrà Hesperium promontorium, qvod nunc Capo Verde, sunt Hesperides Insulæ, ultraqve Gargades, nunc Islas de C. Verde. prom. viride sic vocatur ab herba qvadam viridi, qvæ similis est nasturtio aqvatico, tàm densè Oceano hîc incumbit, ut sub ipsa aqva ægrè conspiciatur, & nautis terræ virides esse videantur. Insulæ præcipuæ hîc numerantur decem.

§. 9. Contrà Mauritianiam Insulæ Fortunatæ s. Canariæ, qvarum præcipuæ Tenariffa, in qvâ mons altissimus Pico, Ferro, aqvis destituta, qvas arbor perpetuò stillans sufficit. Canaria maxima. Septem sunt Insulæ, tres suis parent Dominis, qvatuor Hispano. Ulteriùs est Cerne, nunc Madera.

§. 10,

§. 10. In Oceano Æthiopico Inſ. S. Thomæ ſub Æqvatore, cujus aër maximè inſalubris. Inſ. S. Principis, S. Helenæ, navigantium receptaculum. Zangibar; inſula è regione Mozambiqve, in qva gallinæ nigræ, qvarum & caro & oſſa nigra. Inter Americam & Hiſpaniam Aſſores ſeu Flandricæ, novem Inſulæ, qvarum præcipua Tercéra.

AMERICA

DECAS XXXV.

§. 1.

AMerica ſeu India Occidentalis priſcis cognita & Atlantis dicta, ut nonnulli volunt. Inſulis â Chriſtophoro Columbo Genuenſi Anno 1492. detectis, continentem terram primus aperuit Americus Veſputius Anno 1497. unde nomen natum Americæ. Longitudo maxima 2400. mill. Germ. Latitudo 1300. dividitur in Septentrionalem ſive Mexicanam, & Meridionalem ſ. Peruvianam.

§. 2. Americæ Septentrionalis, cujus bona pars Occidentem verſùs & Septentrionem adhuc incognita eſt; Regna (1) Canada

nada, (Insula hæc sit, an pars Continentis, incertum.) cujus partes terra Laboratoris & terra de Baccalos, â piscium qvorundam genere, qvorum ingens hîc multitudo. (2) Nova Francia, omnium inops, gens idololatrica ἀνθρωποφάγος. Pars ejus Norumbega. (3) Virginia, sterilis & malignè culta. (4) Florida, Dominicâ Palmarum detecta, unde ei nomen est. Incolæ nudi incedunt, captosqve hostes devorant. Reperiuntur hîc animalia, è qvorum alvo duæ dependent manticæ, in qvibus catulos circumferunt. (5) Nova Granata, cujus incolæ paulò justiores cæteris opp. Granata. (6) California solum habet sterile, insula esse perhibetur. (7) Nova Hispania & amplissima & cultissima regio, â Ferdin. Cortesio Anno 1518 subacta, cujus præcipua regna: Nova Galitia, opp. Compostella, Mechoacan, unde radix Mechoacana ad nos defertur. Mexicana Regio totius Americæ nobilissima, ab urbe Principe Mexico 70000. ædium, occupata â jam laudato Cortesio, Anno 1521. Mons hîc ignivomus Papocampeche, Jucatan Chersonesus, agro feraci, cujus incolæ bellicosi, Urbs hîc Patanchan multò maxima.

§. 3. Ame-

§, 3. America Meridionalis vel Peruviana in hæc Regna dividitur, qvorum (1) Castella aurea, auri ferax, inculta aliàs regio, urbes habet Nombre de Dios & Panama, ad qvas naves appellunt. Animal alit, Haute nomine, nunqvam edere visum aut bibere, aëris haustu vivere creditur; ponuntur hîc Amazones. (2) Peruviana regio, Paradisus terrestris nonnullis dicta â Peru fluvio nomen habet, metallis ditissima. Urbs Lima, Proregis sedes, & Cusco ex qvadrato lapide condita, Regum sedes. Aurifodinæ, qvæ Potosi sunt repertæ Anno 1547. in hâc etiam parte Argyropolis, seu villa de la Plata. Peruviani potum conficiunt ex radicibus â feminis masticatis, & panem ex Maiz, qvi cibus vulgaris est per Americam. Oves onera portant, ut muli. *S*arsaparilla herba hinc petitur in officinis nota. Fr. Pizardus Hisp. hîc crudelissimè sæviit, & multis incolarum millibus occisis, ipsum Regem Attabalibam, extorto primùm ingenti auri pondere, contrà datam fidem interfecit. (3) CHILI Regio frigida. Urbs S. Jacobi. (4) Chica, in qvâ Potagonum gens, stupendæ molis & roboris. (5) Brasilia, vasta regio, sacchari ubere proven-

tu

tu nobilis, Portus omnium Sanctorum, ſedes Præfecti. Pernambuco opp. cum portu celebri. Portugallenſes hîc dominantur, nuper admodùm Belgis, qvæ, Mauritio duce occupaverant, ademtis; Animalculum in ea Pigritia, mirè tardum, cni nullo fuſte ignaviam excuſſeris. Incolæ feri, nudi, ἀνθρωποφάγοι, corpus certis ſuccis inficiunt, lapides nullius pretii inſertos labris geſtant, retro nobis ſpectaculo, hoſtes ſaginatos cum tripudio mactant & devorant. F L R literis carent, addit nonnemo, qvia Fide, Lege, Rege deſtituuntur, à Diabolo, qvem Aichnan vocant, multa patiuntur, Rio de la Plata. vel argenteus fluvius, in qvo argenti ramenta reperta. Reliqvæ regiones vel incognitæ, vel obſcuræ.

§. 4. Inſularum Americæ adjacentium (1) Hiſpaniola, immanem Hiſpanorum crudelitatem experta. Urbs S. Dominico.

§. 5. Cuba, cujus incolæ ab Hiſpanis miſerè divexati, ob qvod barbarus qvidam comburendus in infernum migrare maluit, qvàm cum Hiſpanis eodem cœlo concludi. Urbs S. Jacob & Havana, totius Americæ celeberrimus portus.

§. 6. Ja-

§. 6. Jamaica nuper ab Anglis occu-
ata, caput Sevilia.

§. 7. Antillæ ſeu Camarcanæ inſulæ
omplures, qvarum incolæ canibali im-
aniſſimi, humanæ carnis, qvâ veſcuntur,
ppetentes. Ad terram di Baccalos Inſula
t dicta Terra Nova, & alia Drogéo
eſerta, qvæ ob ſpectra ibi viſa Inſula
iabolorum nautis dicitur, in qva ali-
vando fœmina Galla cum amatore ſuo
xpoſita.

§. 8. Terra Auſtralis ferè incognita
t. Magellanica vocatur, qvia â Ferdi-
ando Magellano anno 1520 primùm
onſpecta; idem freto nomen dedit, cui
djacet terra del Fuogo. Navigatio nuper
iud fretum detexit, quod Le Maire vo-
ant. Nova Gvinea inſula ſit, an continens,
noratur. Inſulæ in mari pacifico qvàm
lurimæ, ut Salomonis, ob divitias ita
ictæ, & Tuberones ſive infortunatæ. No-
a item Hollandia, nova Zeelandia, Pſitta-
orum Regio, ubi ingentes videre Pſitta-
os Portugallenſes.

Concluſio Metrica.

ic Continentes permeavimus terras,
Qvascunq; Titan luſtrat, ortus, occaſus:

Qvâ parte mundi ſole ſub coruſcante
Bacchantur ignes, qvâ frigidi ſpirant
Cauri ſub Arcto, qvâq; regna Neptuni
Gelu rigente pigra ſtant & horrenti.
Nox celat umbrâ, longa qvinqve, ſex-menſes
Iuga fronte priva floreq; aureo juvit
Perambulare, juvit & ſalutare
Tagiq; Iberiq; accolam, domos Halli,
Belgæq; fortis, Inſulam Britannorum,
Qva Rhenus, Iſter Albis alluunt terras,
Qvos Itali, qvos Dalmatæ colunt agros,
Qvæ Teuto rura, qvæq; Danus & Svecus,
Qvæ cum Polono conſerit ferox Ruſſus
Tanaisq; potor, Tartarus minor, tutò
Peragraſſe juvit, juvit eperas gentes
Dacos Getasq;, Barbaros ſimul Thraces
Multâ madentes cæde, tùm Philippéos
Campos, amœnis picta floribus Tempe,
Docas Athenas, pacis Artibus claram
Belliq; Spartam viſere, Obij ripas
Montemq; Imaum, ſceptra maximi Chami
Terras verentes vidimus: citâ plantâ
Sinæ potentis, ditis omnium rerum,
Mire ſagacis tranſilivimus murum,
Murum inſolentem, latius haud latet Ganges,

Haud

Haud Indus, & quæcunq; præpotens regna
Mogul gubernat. Persicæ decus gentis,
Vos ampla vidit Ispahan, Tigris vidit,
Vidére rura, quæ rigantur Euphrate.
uas eremos thure dives atq; auro
Arabs reclusit, nobilem Palæstinam,
olymæ sepulchrum, Bethlehemicas cunas
ontesq; Ior, Dan cum palude fœtenti
ustrare, Phasin Colchidos feracemq;
ontum veneni. Perditi furor Turcæ
on impedivit, non acinaces Persæ
a Regna clausit, arcuitq; nos portis
uis & oris. Turrium inclytam fama
e, vasta Memphis, liquimus tuosq; agros,
agnande Nilo, fertiles, Nigri ripas
eriles q; Arenas Africæ, juga Atlantis
næq; montes pressimus pede illæso.
t alter orbis India Occidentalis,
m Mexicana lætior parens frugum,
uam farcta tellus copiâ metallorum,
ruviana, nemini, autumo, planè
nota nostrûm; quem maru latent Syrtes,
riculosæ navitis, & immensum
arsæ per æquor Insulæ, ultimæ Gades
llus Sicana, Creta, Cyclades, Cyprus,
matra, Iapan, Iava, Taproban felix

Et

Et Madagaſcar? Iam valete, florete
Et Regna & Urbes, mille gentium ſedes,
Florete, læta vos fluenta, vos Sylvæ,
Vos universi vivite usq; felices
Orbis coloni & debitum Creatori,
Præſtate honorem! Veſtra nomina & laudes,
Memori tabellâ ſcripta, non dies ulla
Oblivione deleat. Deus porrò,
Sic oro & opto, veſtra proſperet cœpta,
Commilitones cœpta proſperet rerum
Potens Creator! ite, Sol abit, prata
Satis biberunt, ite, claudimus rivos.

Honorate Lector,
Deo da gloriam,
Erratis veniam.

JHr holden Musen / ihr / ihr deut-
schen Castalinnen /
Beliebt dem Himmel selbst und Him-
melhohen Sinnen /
Insonderheit bekand / der klugen
Tichter-Schaar /
So / wie die Delia dem Jäger vor-
mals war.
Bey Griechen habt ihr nicht / wie vor
der Zeit / die Sitze
Die blinde Barbarey bewohnt des
Hemus Spitze /
Wo sich sonst hören ließ Eagers
weiser Sohn /
Wo der von Ascera sang / da weiß
man nichts davon /
Was lieb-was löblich ist / daselbst die
grimmen Türcken /
Die Himmels-Feinde / nichts / als
Sünd und Schande wircken /
Das Volck / dem nichts beliebt / als
Mord / als Raub und Brand /
Wenn es durchstreicht / zerstört /
verhert das Christen-land.
Doch last euch / Clarien / das Scy-
then-Volck außbannen /

Euch nehmen willig auf die künen Alemannen/
Hier jetz der Pindus steth / hier Hippocrene springt/
Denn auch der deutsche so / wie vor der Grieche singt.
Wenn dort der Bober-schwan rührt seine süsse Seiten/
Ihn gleichsam Felß und Feld / ihn Wald und Fluß begleiten/
Der Flemming also flammt/ so seine Leyer rührt/
Daß er der Tichter Chor gleich seinem Föbus ziert.
In Buchners hoher Kunst sich Zier Und Pracht verbrüdern/
Der hochberühmte Rist erqvickt mit Himmels-Liedern/
Den Gott-ergebnen Geist / wenn unser Francke spielt/
Sich Zion selbst er freut / es Hertz und Seele fühlt.
Wer diesen Thon anhört / und doch nicht wil gestehen/
Das auch die Clio wohn auf unsers Pindus Höhen/

Von

Von Neydes-Flammen breñt/ ja
ist ein dummes Kind/
Es müssen Brunnen seyn/ wo sol-
che Flüsse sind.
[D]aß unter uns / o GOtt / die Musen
ferner wohnen/
[D]ie ihren Dienern stets mit Ehren-
Kronen lohnen;
Der Künste Wissenschafft / der
Sprachen Zierligkeit/
Macht ein Land mehr berühmt / als
Reichtum/Pracht und Streit.
[D]u/ mein GOtt/ meinen Sinn und
meine Lippen lehre/
[D]aß ich nichts denck' und red / als
was zn deiner Ehre/
Zu Nutze dem gereicht/ der andrer
Sorgen frey/
Mit mir durchwandern wil diß
grose Weltgebäu/
[D]as wunderschöne Hauß durch Got-
tes Wort erbauet/
[D]arin man überal so viel / viel Wun-
der schauet/
So / daß des Schöpffers Ruhm in
aller Welt erhöht/

Weit über alle Stern und alle
Himmel geht.
Zeug auff / mein Leser / auff die Segel
deiner Sinnen/
Umb einge Wissenschafft von Sachen
zu gewinnen/
Die wissens würdig sind / des Ne-
reus weites Feld/
Dir Lehr-begierigen sol werden vor-
gestellt.
Der kalte Cronius daß Eiß / gleich
Bergen / setzet
Am kalten Zemla an / wo seinen Sebel
wetzet/
Das grimme Scythen-Volck / da/
wo der Tartar raubt/
Der von GOtt wenig weiß / der/
was ihm träumet/glaubt.
Die Durchfart Anian (ich rede/ wie
man schreibet/
Dieweil es unbekand und unerforschet
bleibet/
Ob hier sey festes Land / ob Amphi-
triten Feld/
Zertheile / wieman sagt / die alt und
neue Welt)

Die

Die Durchfart Anian uns zu den Seren führet/
Darauff die Wasserflůt das weiche Sin berůhret.
Das Haupt-Meer Lazarus! die Philps Insuln weist/
Moluccen sind nicht fern/ von Würtzen hochgepreist.
Nechst diesem Indien benamt des Meeres Güsse
Da/ wo der Ganges Fluß sich selbst/ und andre Flůsse
Hin in den Golfo führt/ berühmt von Bengala/
Die Indianische Fluth auch Persien kömt nah.
Das rote Wunder-meer das Weyhrauch-Land benetzet/
Das seinen Mahomet bey die Propheten setzet.
Bald man drauf Hoffnungs-vol schifft umb das Morenland/
Hin/ wo des Atlas Haupt umbher sieht dürren Sand.
Der streitbre Cantaber/ Frantzosen/ deutsche Reiche/

Das Irr- und Engeland berühren des
Meeres Streiche/
Auch Caledonien / biß zur gefror-
nen See/
Die an den Ufern steht nichts/als nur
Reiff und Schnee.
Was ist / das Menschen nicht bemüht
sind zu erkunden/
Es hat der Magellan die neue Fart er-
funden/
Hin in das Süder-meer / so daß des
Schiffesmann/
Wie Canus hat gethan / die Welt
umschiffen kan.
Columbus erst / hernach Americus
drauff dachte/
Wie er die neue Welt der alten kund-
bar machte/
Die ietz dem Spanier von ihrem
Uberfluß
Ohn allen Widerstand den Gold-
durst stillen muß.
Aus Holland gleichesfals der kluge
Schiffer-Orden/
Sucht eine neue Fart hin durch das
kalte Norden/

Die

Die Durchfart fand er zwar / doch
weil viel Schnee und Eiß
Mit langer Nacht einfiel / ward
nichts nicht aus der Reiß/
Er kehrte wieder umb. Nichts ist das
nicht ergründet
Der Mensch das weise Thier/nichts ist/
daß nicht erfindet
Ein kün und kluger Man / der sich
nichts schrecken läst/
